

d. 183

Rever. P. Elfferich Se wim mendat
J. Schöpfer s. 1.



COGITATIONES CHRISTIANÆ

*Quolibet Die cuiuslibet Mensis
utiliter suscipienda*

una cum
DOCUMENTIS
SANCTIORIS VITÆ
PRO OPERIBUS
CHRISTIANI HOMINIS
Piè faciendis

DD. SODALIBUS
Majoris Congregationis
B. MARIAE V.
ab Angelo Salutatæ
in Strenam Fuldae
Oblatæ

Anno M.DCCXVII.

HERBIPOLI
Typis HENRICI ENGMANN Typ. Aul.

51867/88, 1181.

HÆC EST
VOLUNTAS
DEI
SANCTIFICATIO
VESTRA

i. Thesal. 4. v. 3.

*REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
PRINCIPI,
AC
DOMINO,
D. CONSTAN-
TINO,
Inclytæ Ecclesiæ Fuldensis
ABBATI,
S.R.I. PRINCIPI,
Divæ Augustæ Archi-Can-
cellario , per Germaniam
& Galliam Primati &c.
Congregationis ab Angelo
Salutatæ Virginis
P R A E F E C T O.*

Cæterisque
Plurimum Reverendis, Per-
illustribus, Prænobilibus, Ma-
gnificis, Amplissimis, Clarissi-
mis, Consultissimis, Experien-
tissimis, Prudentissimis,
Et Doctissimis

IN
MAGISTRATU
SODALITATIS
CONSPICUIIS,
DD. ASSISTENTIBUS,
SECRETARIO,
Consultoribus, Sodalibus
Marianis
D. D. C.
CONSODALES
MARIANI.

REVERENDISSIME
ET
CELSISSIME
PRINCEPS,
AC
DOMINE, DOMINE
NOSTER CLEMENTISSIME.

Est opus exiguum, quod TIBI offerimus: neq; magnum esse potest, quod NOMINI TUO inscribitur: hoc enim, quia maximum est, omnia, que ad id accedunt, minuit; nisi accipiat Clementissima Manus, & erigat; gratum tamen habebis: etenim, si Dei Vicarius in terris est Princeps, Voluntas, que DEI est, non potest non esse TUA, atq; illam dum in sanctificationis nostrae Documentis descripsimus, expressimus TULAM, Pictores secuti, qui florentissimos & què ac copiosissimos exercitus daturi tabulis, non Heroës Cataphractatos, & totos viros, sed Laurigeros tantùm vertices inumbrant, ità, dum Virtutes Tuas

Tuas assequi omnes diffidebamus, colla-
genda putavimus Documenta Vitæ
Sanctioris & Capita, quæ Urbs Chri-
stiani orbis Domina in TE olim suspe-
xit. Exempla verò, quibus neminem
non Sancta Sanctorum docebas, & plu-
ra & illustriora vidi, quam ut capere
potuerit omnia; certè singula non de-
buit; itaq;, cùm devoto admirantium
plausu tolli non satis poterant, altius
efferri debebant in Patriâ, ut è sub-
tiliori fastigio, corusco maximè Can-
delabro, in plures incurrerent ocu-
los; nec luce modò illustrarent in-
tuentes; sed piòs quoque igniculos
injicerent Subditorum pectoribus, qui-
bus accenderentur ad imitationem.
Præeunt ex voluminis ordine CHRI-
STIANÆ COGITATIONES, & non
tam meditandi materiam TIBI, sed
facundissimum dabunt compendium
eorum, quæ piissima jam dudum asceti
fuisti scrutatus, & hodie per discurs-
sus TIBI familiares quidem, at gra-
vissimos, adstantibus instituis. Omnis
igitur Operis summa Tu ipse es:
quod

quod enim in Magni Salefii Laudem
scripsit Illustrissimus & Reverendissi-
mus Comes Volaiorum, Aniciensium
Episcopus, fuisse scilicet Sermonum
Oratorem & Factorem Operum, hoc
ipsum per omnes lineas de TE leges,
REVERENDISSIME ET CELSISSE
PRINCEPS! quia omnibus notum,
utraqque laude TE clarissimum, quod
& Sapientiam in Sententiâ, & San-
ctitatem in opere pulcherrimè nove-
ris temperare ac commiscere: plus
enim in TE est, quod facis, & testes
oculos fugit; quam quod dicas, &
in aures nostras influit. Patere er-
go non tam offerri, quam TIBI red-
di, Libellum, qui nihil habet, quod
TIBI non debeat: Videntur enim
CHRISTIANÆ COGITATIONES, quas
continet, è Tuis conceptæ sententijs;
Vitæ verò Sanctioris Documenta,
ab exemplis Tuis collecta. Usus
non erit peregrinus; unde nec mo-
lestus esse potest; quia libri argu-
mentum quotidianum TIBI & fa-
miliare: Continuus ut sit, & longus.

VERBI

VERBI aeterni & sanctorum Cogitationum Mater, curas in Sodalium suorum Cœtu à TE positas, pondásque porrò liberatura, incolumem diu TE faciat.

Ita uovet

TIBI devotissima

Sodalitas Mariana.

PRÆFATIO.

Ibellus hic, quem pro xenio spiri-
tuali accipis, *Sodalis Mariane!*
mole quidem parvus est & exiguum;
ast, si materiam spectes, magnus &
eximius. Suggerit *primo* COGITA-
TIONES, non purè morales & politi-
cas, sed CHRISTIANAS, versantes
circa præcipuas Fidei nostræ veritates.
& inconcussa Evangelii effata, simpli-
ces, breves, & faciles; quæ à quolibet,
negotiis licet occupatissimo sine
difficultate & temporis jacturâ legi, &
intelligi possint.

Cogitationes hæ non solum conve-
niunt iis, qui abstracti Mundo vivunt
in solitudine, & expeditum habent o-
randi usum; Verum & illis, qui sæ-
culi hujus implicati negotiis rebus di-
vinis parùm assueverunt. Nemo quan-
tumvis Mundi curis immersus, adeò
tenetur terræ affixus; quin subinde
cœlos queat intueri, aut lectionem a-
liquot linearum perficere. Ut autem
Cogita-

PRÆFATIO

Cogitationes has congruè suscipias, sequentem servabis methodum : sub tempus matutinum post debitas Deo persolutas preces, leges discursū u-nius diei, sed attento animo, & vigili mente : & si tempus permiserit, primo inchoatæ cogitationis articulo non nihil, antequam ad secundum progre-diari, meditabundus inhærebis : nec sufficit, quod intelligas ea, quæ legis; sed neceſſe eſt, ut coneris lectam ve ritatem penetrare, & gustum aliquem spiritualēm, ſive amoris Dei ſive timoris &c. percipere, ſi autem id per tempus non licuerit, non omittatur ſaltem ſimplex lectio, quæ in animâ haud minus præstat, quam ſigillum ceræ impressum : ſemper enim re manet post lectionem, etiam obiter factam, aliqua impressio, ſaluti noſtræ proficua. Si verò eæ forent tuæ occu pationes, ut nec matutino tempore, nec in diei decurſu otium haberet le gendi has cogitationes, ſaltem ante quietem nocturnam easdem pervolve.

Sen-

PRÆFATIO

Sententiæ ad finem cuiuslibet cogitationis appositæ, sunt velut compendium totius discursūs, & ceu grana essentiæ, quæ sub parvâ massâ magnam Christianæ virtutis perfectionem in se continent, aptæ ad nutriendam cogitationem piam per diem, imò per omnem vitam. Cum legendo absolveris omnes totius mensis cogitationes, de novo relegantur; quò enim illæ profundiores egerint in corde radices, eò uberior inde excrescet animæ fructus.

Suggerit secundò documenta sanctoris vitæ pro operibus Christiani hominis, quæ *singulis diebus, Hebdomatibus, mensibus*, atq; *annis* etiam, imò & *semper* agenda videbantur, rectè & piè faciendis; ut si per ferias & frequentes veritatum æternarum, primâ libelli parte propositarum, cogitationes accensum in te sit efficax veræ sanctitatis & perfectionis desiderium, hîc rationem habeas sive methodum omnino expeditam ejusdem consequendæ: Omnis enim vitæ sanctitas, atq; perfectio non

PRÆEATIO

non in alio consistit, quām in perfectā operum, quæ Christiano homini incumbunt executione. Præcepta hæc proponuntur quām succinctissimè & planiſſimè juxta consilium illud Venusini Vatis : *Quidquid præcipes esto brevis* ; ne longā & lacrymosā oratione animi potius perturbentur, quām fructuosè doceantur ; qui tamen explicationem eorum desiderat fusionem, adeat R. P. Jacobum Alvarez de Paz, *de modo religiosè vivendi*, unde præcipue desumpta sunt.

Tu interim *Sodalis Parthenie* ! utere novo hoc novi anni xeniolo ; & in eo te ità per hujus anni, atq; totius vitæ insequentis decursum exerce, ut tandem aliquando pro laborum tuorum fructu recipi merearis in cœtum Sanctorum, ubi erit *Sabbathum ex Sabbatho*, & requies perpetua.

Amen.

231 (1) 5800

COGITATIONES CHRISTIANÆ,

QUOT DIEBUS PER TOTUM
MENSEM SUSCIPENDÆ.

PRIMUS DIES.

De Fide.

I.  Otum illud , quod à Fide Christiana docemur , haud alii inititur fundamento , quam solius Dei revelantis authoritati . Ex ore Christi prolat a est ea doctrina , quam Ecclesia fidelibus credendam proponit : itaque errandi periculum non est , ubi Veritas ipsa se comitem præbet & ducem .

A

II. Quid

II. Quid prodest fides, nisi eâdem ut regulâ pro moribus conformandis utaris? nunquid dementis animi est argumentum, vel leviter dubitare de veritate ejus doctrinæ, quæ à Deo ipso revelata, quam tot Christi Martyres suo subscripserunt cruore, & profuso consignârunt sanguine; quâmq[ue] tot stabilitam miraculis, vel ipsi Dæmones diversis in occasionibus professi sunt? at major tua est dementia, si credideris Christi doctrinam esse veram, & vixeris, quasi haud dubitares de ejusdem falsitate: an non hoc modo credunt Dæmones? quorum vita & fides discrepant.


III. Ergo fides sit deinceps actionum mearum principium & regula totius vitæ. Quod illa reprobat damnatque, hoc ego vicissim reprobo & damno, non attentis naturæ repugnantis legibus. Quandocunque occasio tulerit, Evangelii radios sæculi hujus nequam opponam tenebris. Quid enim mundus suggerit? quisque sequatur

quatur suarum passionum impetus ;
nihil adversi patienti ferat animo ;
vindictam de inimicis querat, sumat-
que : at quid Christus ? quid docuit
Æterna Veritas ? planè contrarium
prædictis : utrūm sequeris JESUM Chri-
stum, an mundum ;

*Ages Deo gratias, quòd te ad veram
fidem vocaverit ; & Symbolum A-
postolicum eā attentione dices, quā
solemnem fidei professionem reci-
tares.*

Adauge nobis fidem. *Luc. 17.*

Quid prodest , si quis Catholice
credat , & gentiliter vivat ? *Pet. Da-
mianus.*



SECUNDUS DIES

De Fine Hominis.

I. **D**EUS solus, finis noster ultimus est: nec potuit nos creare, quām propter semetipsum: conscientia nostra dat nobis testimonium, quod simus propter DEUM: nec quisquam hoc negaverit, nisi is, qui se ipsum decipit & prodit.

II. Unicuique hoc dandum, quod ad ipsum pertinet: demus ergo nos Deo, quia ejus & factura, & creatura sumus: si quis noluerit ei subesse sponte, ut obediens filius; suberit vel invitus, ut servus & mancipium: neceſſe enim est, ut vel vivamus sub imperio ejus bonitatis, aut rigorosæ justitiae. Quod placuerit, elige.

III. Quælibet res dirigitur in suum finem, & agitur juxta leges naturæ. Si Sol, cuius est aera & mundum illuminare, lucem hominibus subtraheret;

ret; nunquid foret, ac si non esset? aut potius monstri alicujus, & portenti loco haberetur? Simili planè modo homo à Deo, & propter Deum creatus, si ejusdem se servitio substrahat; non homo, sed monstrum est. Itaque deinceps solius ero Dei: omnes cogitationes vitæ meæ non aliud spectabunt, quam majus ejusdem obsequium. Ah quam languide hucusque intentiones meas in metam, qui Deus est, direxi! Ah quam deinceps vitam vivam in terra; nisi unicum illum, ob quem creatus sum, finem respiciam!

Natus ad tam sublimem, & præcelentem finem, nulli unquam adhaerbo rei, quæ aut excellentiam meam contaminare, aut decus creationis meæ subvertere valeat.

Dominus meus & Deus meus.

Ioan. 10.

Totum te exigit, qui totum te fecit, *S. Augustinus.*

A3

TER-

TERTIUS DIES

De Mundi contemptu.

I. **I**S, qui mundo adhæret, habet, unde minùs rectè dicatur Christianus; certè Christi non manet, qui ait: EGO NON SUM DE HOC MUNDO: mundus enim cum suis titulis, opibus & pompis capitalis est JESU CHRISTI inimicus: principia Christi & ejus præcepta, ac intentiones adversantur iis, quæ tradit mundus: utrique simul servire non potes: aut hunc, aut illum oderis, necesse est.

II. Amor mundi violat juramentum factum in Baptismo; ubi Sathanæ & ejus pompis renunciavimus: tenemur itaque vi arctissimæ obligationis hujus laudum, dignitatum, gloriæ, & rerum omnium, quæ mundi amatoribus admirationi sunt, manifesti esse contemptores. Quanta per fidia,

-TER

A

fidia, imò quām abominandum sacrilegium hominis Christiani, mundum, ceu idolum colere, & terrena cælestibus præhabere !

III. Nihil reperias in mundo, quod amore animi immortalis dignum sit ; imò nec tantum boni habet, quo iis, qui ipsi ut affeclæ serviunt, satisfaciat : ejus thesauri, recreationes, honores occupant quidem & implicant cor humanum, verūm explere, ut quietum sit, haud possunt : sunt enim ea, quæ mundus æstimat, falsa, & evanida, quibus sub specie veri boni suis amatoribus illudit. Quò fortuna magis arridet, tantò certius illudit, & gravius præparat præcipitum : omnes ejus illecebræ plenæ sunt amaritudine : æquè suspiratur sub corona aureâ, quām in pedicis ferreis.

Ora Deum, ut spiritum hujus mundi
in te destruat, donetque gratiam,
quā perfectam abnegationem, &
renunciationem pomparum, titulo-

A4

rum,

rum, opum, famæ, existimationis,
Et omnium, quæ mundus querit, Et
estimat, consequare.

Quod hominibus altum est, abomina-
tio est apud Deum. *Luc. 16.*

Vx his, qui adhaerunt transeun-
tibus, quoniam simul transeunt.



¶ A

QUAR-

QUARTUS DIES

De Morte. O. III.

I. **E**st, quod mortem timeat Christianus, si vitam Christiano homine indignam duxerit: quam reddes Deo rationem de vita in voluptatibus traducta? quam ineffabiles adferet angustias & anxietates vel solum cogitare, omnes occasiones salutis reparandæ perditas? verè amara mors est homini impio, Dei inimico; dum funestissimum illud temporis attinget momentum, quod omnes honores, voluptates, & bona fortunæ terminabit, & pœnas sceleribus æternum destinatas inchoabit.

II. Quod in hora mortis te fecisse voles, istud fac modo; nec fidas temporis, cuius quodlibet momentum, potest esse vitæ tuæ ultimum. Quo vivieris diutius, tanto propinquior es

A. 5

sepul-

sepulchro ; eò vicinior est tibi mors,
quò longius emanet.

III. O quām lucidum & purgatum
feres judicium de bonis hujus sæculi ;
quando oportebit te deserere eadem !
velis , nolisve , Modò , dum sanus es ,
meditare mortem , & decretoriæ ver-
ba sententiæ , (STATUTUM EST SEMEL
MORI :) sapè revolve . Quò pulchri-
tudo formæ , quò corporis venustas ,
quò honores & voluptates in isto tre-
mendæ æternitatis momento reci-
deint ? mors omnia , ut in se sunt , po-
nit ob oculos : dum vivimus , mun-
dum æstimamus : dum morimur , con-
temnimus : cui plūs credam , an vi-
venti , an morienti ? Ah ! quām bre-
ves , quām viles mundi hujus illece-
bras lux cerei mortalis monstrabit
in agone ultimo . O homo , in terris
mors semel obitur , semel , inquam , sed
unde pendet aut fœlix æternitas , aut
æterna infelicitas .

Illud,

Illud, quod maximè timeres, si modò
tibi moriendum esset, sine mora e-
menda: quamlibet tuarum actio-
num ita institue, ac si postrema
foret: exercitio incumbere bonorum
operum: usum Sacramentorum dig-
num habe, & frequentem, & dic:
Moriatur anima mea morte justo-
rum, & fiant novissima mea horum
similia. Num. 32.

Uno tantùm gradu, ego, morsque
dividimur. 1. Regum.

Christiano craftinum non est. Ter-
tul.



QUIN-

QUINTUS DIES

De extremo Judicio.

I. **S**TATUTUM EST, ut unusquisque ante JESU Christi tribunal semel compareat, judicandus juxta opera sua, seu mala fuerint, seu bona. Nullam veritatem clarius, & frequentius Evangelium proponit. Hinc adeo firmiter eidem adhæreo, quām si jam tum fatalis tubæ mortuos excitaturus clangor auribus insonaret,

II. Quām rationem reddemus de innumeris & propè infinitis cogitationibus perversis, quae mentem percurrerunt? de verbis, quae lingua protulit? de actionibus flagitiosis, quas impii exercuimus? O DIEM CRUDELEM ET INDIGNATIONIS PLENUM ET IRÆ ET FURORIS DOMINI! Isa. 13. ubi omnia nuda & aperta erunt; ubi nihil futurum sit tam minutum, quod non considerabitur, expendetur, judicabitur.

QUINTUS

tur. QUANDO VIX JUSTI ERUNT SECURI; IMPII UBI APPAREBUNT?

III. Quam sententiam exspectabit peccator impoenitens à Judice inexorabili? O terribile, & omnis quietis expers dictum! ITE MALEDICTI. at quò ibunt (Domine,) illi ter infelissimi, quos maledictos pronuncias? quem mundi angulum petent? ubi latetbunt? quod erit eorum receptaculum? esse abjectum & maledictum à Deo in æternum, quantus horror? quanta confusio?

Imageris jam te in districto iudicio JEsu Christi consistere, de quo peccato major subibit mentem confusio? crede. & serio expende, quod occultissima queque peccata & fordes locis occultis & in tenebris obitae, palam producentur.

Ante faciem ejus indignationis, quis stabit? Nahum I.

Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam?
S. Augustinus. SEX.

SEXTUS DIES

De Inferno.

I. **U**T inferni horrorem , & peccati detestationem veram & constantem habeas ; acue aures, audi ejulatus & lamenta damnatorum : in hoc divinæ Justitiae carcere , qui flammis ardentissimis , & omni tormentorum varietate refertus est, suspirant, gemunt, ululant, velut feroce bestiæ damnati , agnoscant peccata sua , plorant, detestantur ; at serò : lacrymæ eorum non profundunt, nisi ad hoc, ut ignem infernalem magis magisque excitent , augeantque flamas, quibus uruntur , at non comburuntur, O poenitentiam rigorosam, sed planè inutilem !

II. Deum nunquam intueri , igne inextinguibili adūri æternū , tormenta patī tam crudelia & acerba, ut, quæ sunt hujus vitæ acerbissima, eorum comparatione depicta videri possint

possint, omne genus malorum sine
ullâ consolatione sustinere, semper
dæmones terribili specie apparentes
præ oculis habere, & coacto hostium
suorum affligi aspectu: qualis hæc vita!

III. Damnati aguntur in rabiem;
dum recordantur tot à se neglectas
occasiones salutis: memoria præteri-
tarum voluptatum majus est tormentum:
at maximum illud; quando
conscientia eis proponit, Deum sine
spe ulla recuperationis æternū amif-
sum fore,

*Spiritu descende in infernum. inter-
roga damnatos, qua de causa de-
trusi in locum illum tormentorum,
considera eorum etatem, statum,
infelicitatem: & confige timore
cor tuum..*

Quis poterit habitare de vobis cum
igne devorante? *Isaiæ 33.*

De poena in pœnam transeunt, de
ardore cupiditatis in flamas gehen-
narum. *S. Aug.*

SEPTI-

SEPTIMUS DIES

De Aeternitate pœnarum inferni.

Voluptas momentanea suppli-
ciis in omnem aeternitatem
non finiendis, à Deo punitur.
Quanta infelicitas, esse infelicem tam-
diu, dum Deus est ! nunquid sat erat
miseriarum, damnatos extrema quæ-
que malorum pati, nisi insuper aeter-
num eadem paterentur ? punctura a-
cūs leve videtur malum ; at si quoti-
die eādem in parte corporis sustinen-
dā foret, malum importabile dicere-
tur. Si per horæ quadrantem sine
summo cruciatu digitum ardenti faci
committere non ausis ; per Deum !
per quas vires igneo in ergastulo aë-
ternas flamas sustinebis ?

II. O aeternitas ! aeternitas ! quam
longa es, quam es interminabilis !
quando reprobus tantum fuderit la-
crymarum, ut flumina, & maria effi-
ciant,

ciant, et si quot sæculis unam stillârit lacrymulam ; jámque post annorum milliones infinitos hæ guttæ tam immensos æquoris tractus implêrint, tormentorum est initium. Finem nescit æternitas : ac ita quidem ; ut post ardores, frigora, fætores, famem, sitim, cæterasque pœnas tot annorum millibus & millionibus toleratas, quot aquæ guttæ sunt in mari, arenæ grana in littoribus, atomi in aëre, folia in sylvis, gramina in campis semper oporteat retexere, denuòque inchoare. O æternitas, quàm longa es, quàm es interminabilis !

III. Damnati non solum tormenta sustinent per totam æternitatem ; sed quolibet momento totius æternitatis pœnas subeunt : æternitas damnatis semper est tota præsens ; singulis adest tormentis : damnatorum hæc est COGITATIO, æternitatem pœnarum nunquam finiendam. O deplorandus status damnatorum ! O COGITATIO eorundem infanda ! æternum.

ternūm uri, æternūm plorare, æternūm agi in rabiem ! ah ! quis nobis det, ut, dum vivimus, vivacem tantorum malorum habeamus memoriam, & tantam miseriarum abyssum altius animis infigamus !

Exerce actum fidei, quo credas æternitatem pœnarum, vel uni peccato mortali debitarum. Oportet te ô homo, etiam hoc credere, quod tuum intellectum transcendit : ô infantiam Christiani, nolentis pœnarum infernalium æternitatem intelligere, nisi propriâ experientiâ easdem delibet !

Qui non obediunt Evangelio, pœnas dabunt in interitu sempiternas. 2. Tim. 1.

Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.

OCTA-

OCTAVUS DIES

De Paradiso.

I. PARADISUS ! O vocem lætam ! qui vel appellat Paradisum , dicit statum omnis felicitatis , atque elongationem omnis mali : Paradisus initium operum divinæ magnificientiæ , pretiū Sanguinis JESU Christi , complementum omnium desideriorum cordis humani : Paradisus locus est tam præstans , ut omnes hujus vitæ divitiæ , honores , voluptates cum illo collatae non sint aliud , quam umbra , fumus & simus .

II. Videre Deum in suā gloria , amare Deum sine mensura , possidere eundem absque metu unquam perdendi , esse felicem eādem cum Deo felicitate , objectum est spei Christiani hominis . Ah ! si pauci forent exilii mei , & peregrinationis dies ! ut tandem æternū eo fruerer , **QUEM DILIGIT ANIMA MEA.**

III.

III. Quid refert, quò loci morem
mur hīc in terra? modò per æternitatem
liceat esse cum JESU & MARIA
in Paradiso. Locus, in quo habebis,
quidquid desideras, in quo nihil eo-
rum est, quæ formidare possis, in quo
omni bonorum genere sine illa mali
admixtione afflues, exiguo comparari
potest: Martyres Christi cœlum e-
merunt pretio sui sanguinis, alii susti-
nendo exiguum persecutionem, alii
alarum virtutum exercitio; ah felix
æternitas! O si noſſent homines,
quanti valeres!

*Excites in te ardens Deum videndi
desiderium: terram respectu cœli
ut cloacam fōrdidam contemne;
si cor tuum impleveris Cogitatione
paradisi, nihil in hoc mundo time-
re, aut mirari poteris.*

Satiabor cùm apparuerit gloria tua.
Psalmus 16.

Si labor terret, merces invitet. *S.*
Bernardus.

III

NONUS.

NONUS DIES

De præsentia Dei.

I. **D**EUS haud aliter me obser-
vat, ac intuetur; quām si
unicus & solus forem in
mundo: vel ut melius loquar: DE-
US intimè & essentialiter replet cor-
pus meum, membra mea, animam
meam, ac facultates, quidquid deni-
que sum; ita, ut nihil in me sit, quod
non sit plenum DEO: hinc singulos
homines eodem intustur oculo, quo
seipsum.

II. Quām mihi probrosum, & igno-
miniosum est, quòd iniuriantes meæ
ita vultui divino objiciantur, quām
si oculis totius mundi exposita lege-
rentur. An audes facere coram ser-
vo & mancipio tuo, quod in præsen-
tia Regis Regum non erubescis per-
petrare? quanta cæcitas timere ocu-
los hominum, & nihili facere obtu-
tum divinum!

III. Nullæ

III. Nullæ tenebræ , quantumvis
Cimmeriæ , adeò dense sunt , quæ
nos abscondere queant ab intuitu DEI.
Omnes sylvarum recessus , omnem fo-
litudinem cordis humani divina Ma-
jestas suâ præsentia & essentia implet.
Hominum oculos fugere haud diffi-
cile , at Dei impossibile est.

*Constitue te in lumine divinae præsen-
tiae , & adverte , utrum quid in te
lateat , quod oculos DEI offendat :
assuece exercitio DEI omnia in-
tuentis præsentiae : remedium effi-
cax contra peccatum est , DEUS
ME VIDET , & effrenatos pas-
sionum impetus retardat .*

Omnia nuda & aperta sunt oculis
ejus. *Heb. 4.*

Si peccare vis , quære locum , ubi
te non videt Deus , & fac , quod vis.
S. Augustinus.

foliū. III

DECI-

DECIMUS DIES

De habenda cura suæ salutis.

I. **N**egotium procurandæ salutis propriè spectat & unicè ad hominem : reliqua omnia aut parvi, aut penitus nihili facienda sunt. Regum & Principum suscepta consilia, tricæ aularum & supplantationes, bellorum expeditiones, negotiationum administrationes nugæ sunt & pueriles fabulæ : at Deo fideliter servire, eidem velle placere, curámque salutis suæ gerere, negotium est negotiorum. Omnis perfectio hominis ac felicitas in hoc consistit, ut Dei sit amicus. Non est dicendus homo, qui negligit salutem, cuius damnum est irreparabile. Quanta cæcitas ! quanta dementia, imò perversitas, continuò somniare de vita protrahendâ ! at utrùm sit bona, an mala, minus curæ habere. Temporalibus

bus bonis totus inhias, salutis tuæ
oblivisceris. QUID PRODEST HOMINI,
SI UNIVERSUM MUNDUM LUCRETUR,
ANIMÆ VERO SUÆ DETRIMENTUM
PATIATUR?

II. Omnia creata eò tendunt, ut
nostræ saluti conducant, hocque si
fine destituantur, inutilia reputabun-
tur: simili modo quando desistit ho-
mo operari suam salutem, Sol jure
merito lumen suum retraheret, cœli
revolutiones suas inhiberent, terra
fructus proferre negaret, Angeli nos
derelinquerent, omnia in suum nihil-
lum reciderent. Indignus est vitâ,
qui Deo recusat vivere.

III. Interea maxima pars hominum
nihil minus tractat, quæm suæ salutis
negotium: omnium rerum habetur
cura, exceptâ salute, quæ altæ obli-
vioni immegitur. Ex omnibus &
in omnibus profectum quærimus; ar-
gentum annum lucratur censum;
agri coluntur, ut fruges & fructus
producant; omnia damna, quæ in-
ferun-

feruntur, deplorantur, excepto irreparabili damno salutis: corporis continua est cura, animæ vix ulla; quasi anima nostra non foret nostra, imò ac si capitalis esset inimicus; aut illam ideo à Deo accepissimus, ut pefundaremus.

Resolve quocunque etiam pretio aut impensis salutem in tuto ponere. Imitare hac in re Summum Pontificem Benedictum duodecimum, à quo cùm Rex quidam rem injustam petiisset, respondit: duas si haberem animas, non illubenter unam tibi, ô Rex! donarem; at cùm unicam à Deo habeam, nolim illam perdere.

Porro unum est necessarium.

Luc. 10.

Ubi salutis damnum, illic utique jam lucrum nullum est. *S. Euch.*

B

UNDE-

UNDECIMUS DIES.

De horrore peccati.

I. **Q**uale damnum perdere Deum! si mundi iudicio æstimandi sint infelices illi, qui temporalium jacturam patiuntur bonorum, qui perditâ lite foro cedere coguntur, aut aliunde rediguntur ad incitas; nunquid multò infelicior censendus ille, qui bonum perdit absolutè infinitum? maledictus homo, qui peccati dulcedine illectus vendit Deum? at magis execrabilis sit, qui, postquam malitiosè Deum abjecit, pro nihilo tanti boni jacturam reputat.

II. O peccatum! quām frequens es inter homines, & quām te parum agnoscunt! Dum lusibus & recreacionibus intendunt, fiunt execrables Deo: at quis iste lusus, quæ hæc recreatio? Deus, qui totus amor est, infinitè odit peccatorem, quia commisit iniquitatem, quæ est totius Dei privatio. Peccatum

catum malum est infinitum, fæc illim
deformitas, amentia consummata, de-
fectus essentialis, in quo nihil sit bo-
nitatis, nihil virtutis, nihil perfectionis:
O homo, quid times, si non timeas
peccatum!

III. Dominicæ passionis in monte
Calvariæ exhibitæ terribile fuit spe-
ctaculum: attamen status animæ gra-
tiâ Dei destitutæ magis est tremendus,
quàm filii Dei morientis in cruce. Je-
sus non est mortuus, nisi ut destrueret
peccatum, quod magis horruit, quàm
crudelissimam mortem.

*Concipe verum animi dolorem de
commissis peccatis: nullum dam-
num cujusque rei oportet te ita de-
plorare, quàm jacturam divinæ
gratiae; cuius unius detrimentum
lacrymis reparari potest.*

Quem fructum habuistis in iis, in
quibus nunc erubescitis? *Rom. 6.*

Væ animæ audaci, quæ speravit, si
à te recessisset, se aliquid melius habi-
turam, *S. August.*

B 2

DUO-

XII_{MUS} DIES*De Pœnitentia.*

I. **F**Ac pœnitentiam , & crede E-vangelio, ait Salvator noster. Duo h̄c conjungit , ut nos doceat rigorem pœnitentiæ inseparabilem à professione Christianæ fidei. Christus durante suâ mortali vitâ , continuam egit pœnitentiam ad peccata hominum expianda , ac ut justitiæ æterni Patris sui satisfaceret : agamus & nos ad ejus exemplum fructus dignos pœnitentiæ. Si Sanctus Sanctorum jejunavit , ploravit , quid peccatores & scelerati facere debent?

III. Necessarium est , ut peccatum suam habeat poenam : vel ab eo, qui commisit , aut contra quem patratum est , puniatur , oportet : nî peccator de se ipso in tempore vindictam sumat ; rigor Dei justitiae vindicabit illud per totam æternitatem : criminis

nisi abluantur per lacrymas pœnitentiæ, punientur per flamas inferni. Nunquid præstat per aliquot dies plorare ob commissas iniquitates; quām æternū igne infernali torqueri?

III. Haud sufficienter reconciliaris Deo per hoc, quòd ad volvaris Sacerdotis pedibus, caput cinere contegas, totum corpus cilicinâ veste cooperias; nisi addideris sincerum dolorem de peccato admisso, renunciaris omnibus iis illecebris, quibus ad peccandum attraheris, injusta lucra, & malè parta reddideris; alioquin non pœnitens, sed impostor appellandus es: ferventes orationes, frequentes elemosynas, acres carnis macerationes non constituant hominem Christianum verè pœnitentem; at odium peccati, dolor de Deo offenso, vitæ perversæ constans mutatio pœnitentiæ laudem merentur.

Petas à Deo veniam, quòd in hanc usque horam duxeris vitam Evan-
B 3 gelice

gelicæ & Christianæ perfectioni
planè contrariam. Insuper rogabis
dari tibi gratiam, quâ deinceps
vivas coavenienter primis fideli-
bus, quorum pœnitentiam & mo-
res imitare.

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes
simul peribitis. *Luc. 13,*

Pœnitentibus dico : quid prodest
si humiliamini, si non mutamini. *S.
August.*



XIII.

XIII_{TIUS} DIES

De non differenda vitæ emendatione.

I.

Quid est, quod differam, quo minus citò totus sim Dei? cur me dare recuso Creatori, cuius manus nemo effugit? an malum est, subesse & obedire imperanti Deo? an probrosum est, vitam ignominiosam tandem finire? potestne nimium pulchritudo infinita amari? cras, inquit peccator, cras: at cur non hodie, aut etiam, si lubet, hac horâ? an cras catenæ, quibus vitiis alligaris, facilius rumpentur? cor peccatis assuetum eritne mollius in emendationem? ah nequaquam! tempus, quod omnia consumit, mala peccandi consuetudines fortificat, ac solidat. Dum remedia differuntur, mala invalescunt. Serò medicina dum paratur, medicina non est.

B4

II. Quod

II. Quod istud malum amentiæ, quâ vocantis te Dei vocem ad pœtentiam audire ac sequi recusas? quis prompto remoram, aut volenti obedire timorem incutit? an mutandi perversos vitæ mores tanta difficultas? sit difficile, sit arduum naturæ in malum assuetæ in melius assurge-re; certè Christum professo, adoranti Deum crucifixum, & cælestem gloriā exspectanti minùs grave videri debet, quidquid horum causâ, reclamante quamvis naturâ vitiatâ, sustinet: si tamen quid sit, quod terrere te videatur, timor est panicus, aut injuria, quam divinis facis auxiliis.

III. Differre vitæ emendationem, dices, meum est; Deus trahit moras & patienter exspectat. Sit ita: at Scriptura non assignat, quantum ad vivendum supersit temporis. Qui pœnitenti veniam, peccanti diem non promisit crastinum: potest esse, ut pro emendatione morum multum restet temporis: at non video, cur non æquè

æquè parum restare queat. An salutem tuam & æternam Beatitudinem adeò incerto eventui committes?

*Considera tempus elapsum, quod cum
Deo in gratiam redire tenebaris,
& salutari concutere timore; dum
tam præsens interitus aeterni vi-
des periculum.*

Dixi, nunc cæpi. *Psal. 79.*

Nulla satis magna securitas, ubi per-
iclitatur æternitas. *S. Gregor.*



XIV.

XIV^{rus} DIES*De respectibus humanis.*

I. **M**undus obgannit; homines sinistrè actiones interpretantur: si nas utrūmque fieri: an propter vilis plebeculæ discursum tu quoque despere desideras? quid itaque dicetur; scilicet quòd magis sis timens Dei, quàm hominum; imò prudentiores apud seipso te pluris æstimabunt, dicéntque; quòd prudenter & cum ratione agas: ac denique quid refert, qui & quales tibi obloquantur; modò tui officii & obligationis memor Deo placere studeas.

II. Quàm detestanda est mollities, erubescere Evangelium! honori ducis, si terreni portes insignia Principis; & confunderis portare JESU Christi? Utilissimi artifices apertè profitentur artem mechanicam; & Christum
pro-

professus non audeat in Ecclesia dici Christianus ? quicunque erubuerit filium hominis coram hominibus , erubescet ipsum quoque coram Patre suo cœlesti .

III. Ecquid est , quod habeat ter adorandus JESUS , cuius te pudeat ? an nomen ejus infame ? an opprobrium , ejus sequi doctrinam & virtutum exempla ? Tu non confunderis , quod dicaris , sisque impudicus , perjurus , blasphemus ? imò in his captas , ne scio , quam gloriam : at si homo iustus & rectus corde voceris , pudore afficeris . O perversitas & detestanda cæcitas humanæ malitiæ ! attamen manet fixum ratumque , optimum quemque & honestissimum esse illum , qui Deum profitetur , & ei fideliter servit , & intrepidam hujus servitutis facit professionem .

Interrogabis te ipsum , utrum aliquando hac mundi vanitas , & fallacia tibi

*tibi timorem incusserit, & impe-
diērit ; quò minus officij Christiani
obligationibus satisficeris.*

Non erubesco Evangelium. Rom. 1.

*Quid times fronti tuæ, quam signo.
Crucis armâsti ? S. August.*



XV_{TUS} DIES*De diffidentia sui ipsius..*

I. **N**on habet homo, quod æquè timeat, quām seipsum : propriam infirmitatem seu debilitatem magis suspectam habeat, quām omnes inferni vires & astutias. Verbum unum ; aut susprium, unicus respectus humanus sufficiunt, ut vincatur. Adam protoplastus peccavit ; Regum alias sapientissimus Salomon devenit in oblivionem Dei. Princeps Apostolorum sanctus Petrus negavit JESUM Christum. Quid fiet baculo arundineo ; si leves venti inflectant cedros ?

II. Homo frequenter superatur absque hoste , qui ipsum aggrediatur. Indomitæ mentis passiones, & sensus nostri continuò nobis insidiantur, conspirant , oppugnántque cor nostrum. Inimicus noster est periculosus, isque dome-

domesticus. Viri, quos persecutio-
nis nulla saevities potuit vincere, tur-
piter ceciderunt in Eremo: post vi-
ctorias à tyrannis & dæmonibus re-
portatas prostrati sunt à propriâ con-
cupiscentiâ. Nunquam tecum pacem
habeas; neque tibi ipsi confidas.

III. Viros sanctissimos vel sola su-
cepta COGITATIO statûs animæ
suæ ante tribunal Dei perterrefecit:
auditi sunt Anachoretæ, & horridæ
Eremi incolæ, quamvis rigidissimæ
pœnitentiæ viri essent, ad horam
mortis suspirare, gemere, plorare;
eo, quod nescirent formidabile illud
divinæ Justitiæ decretum; neque ip-
sis constaret, utrum amore, an odio
digni forent. Momentum sat est, ut
ex Dei amico fias reprobis.

Dic sàpè cum sancto Philippo Nero:
Domine! Hodie tibi à me caveas;
nam si me mihi ipsi reliqueris, tra-
dam te, eróque tuus proditor.

Ergo

Ergo occasio[n]es prævide, & devita;
sunt enim illæ magis periculosa, quæ
minùs videntur timenda.

Qui se existimat stare; videat, ne
cadat. *i. Cor. 10.*

Quamvis sis in tuto, noli esse secu-
rus. *S. Bernard.*



XVI_{TUS} DIES*De usu divinorum auxiliorum.*

I. **T**antum gratiæ & divinorum habes auxiliorum, quantum JESUS Dei Filius tibi pretio sūi sanguinis comparavit, petiitque à Patre suo cælesti, dum animam in cruce redderet. Quando negligis sanctas à cælo submissas COGITATIONES, quando vel unam Sancti Spiritū contemnis inspiracionem, quæ te excitat ad curam salutis; idem facis, ac si pedibus Sanguinem Christi proculares. Nunquid hoc est inutilem reddere fructum mortis Salvatoris tui?

II. Deo sumus obligatissimi, non solum ob gratias ab ipso nobis collatas, sed insuper tenemur rei beneficiorum, quæ suis fuissent praestita, nisi nostra ignavia obicem posuisset. An jure de lumine Solis conqueri posses,

posses, si ejusdem radiis valvas ligneas oppones, lucemque cubile alias illustraturam prohiberes?

III. Quem non pudeat, quod à vingtis forsitan & pluribus annis divinas inspirationes in negotio urgentissimæ salutis exequi ignavissimè recuset? tanto temporis intervallo scholam Spiritus Sancti frequentasse & minus nihilo didicisse. Hoc enim verò dedecus est & infamia inexcusabilis. Toties ad bonum impelli, jam promissis largissimis, modò minis & reprehensionibus, mox iterum blandissimis verbis; & tamen æquè pervicacem in negotio animæ salvandæ durare; hoc demum non hominem sed brutum arguit. Frequenter mineris, quantum Deo debeas, & quot ei obstrictus sis titulis; neque tibi detur, posse manus ejus effugere, aut, sicut fieri solet in negotiis mercatorum, foro cedere. Certè quod diutiùs debitorum solutionem distule-

ris

ris Deo facere, eò ipse majori te fœnore occupabit.

Spiritu Sancto agendæ gratia propter tot salutares admonitiones, & toties repetitas inspirationes. Petas ab eodem veniam tuæ contumacia. Nam saltem adverte, quid, & quomodo tibi loquatur: & simul vivo timore concutere, ne, si inobediens fueris, penitus omni Dei gratiâ excidas.

Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo. *Luc. 12.*

Gratiam sequetur judicium. *S. Basilius.*



XVII^{MUS} DIES*De usu temporis.*

I. **J**Actura temporis potest censeri inter perturbatissimas mundi confusiones. Præsens hæc vita brevis est : singula ejus momenta summi sunt pretii ; & nihilominus complures talem vitam vivunt ; ac si crederent , se in terra immortales esse , nec unquam animum è corporis vinculis educendum.

II. Ah , si damnatis vel unicum temporis momentum , quod à nobis tam prodigè , impenditur , à Deo concederetur ! quam putas ejusdem haberent rationem ? quodlibet punctum vitæ nostræ sufficit ad lucrandam totam felicitatem æternam . Nullam occasionem recreationibus , aut voluptatibus , aut divitiis colligendis assignatam negligimus ; at temporis , quo salus procuranda , nulla cura est .

III. Quam

III. Quam putas te diem fructuosius impendere? an illam, quæ negotiorum tuorum prosperum vides successum, & divitiarum accessum? nequaquam. Dies hæc est optima, quâ exercentur virtutes, augentur merita, & Deus laudatur, ejusque majus quæritur obsequium: denique id temporis Deo gloriam, nobis gratiam confert, quo interrogatus, quid agis? in veritate responderis. Deo labore, & salutem meam operor.

Renovabis factam suprà resolutiōnem, ac propositum Deo ter Optimo Maximo serviendi; ac omne tempus Deo non impensum perditum arbitraberis.

Nemini dedit spatiū peccandi.
Eccl. 15.

Vacat tibi, ut Philosophus, non vacat, ut Christianus sis. *S. Paulin.*

XVIII^{vus} D I E S*De usu Sacramentorum.*

I. **N**OVAE legis Sacra menta sunt canales, per quos nobis sanguis & merita JESU Christi abundè communicantur: sunt scatul rigin es seu fontes gratiarum nostræ saluti necessariarum. Quisquis iisdem abuti reformidat, is neque merita Christi inefficacia sibi reddere timet; imò saluti suæ omnes præcludit aditus. Vah! quæ dementia!

II. Abuti Sacramentis est impedire effectum eorundem. Dum malè dispositus eadem participare præsumis; Nunquid jure merito trepidas? dum post tot exactas sacramentales confessiones, vitæ & morum emendationis nihil appetet? toties frui carne angni immaculati, & ducere quotidie vitam bestialem, argumentum est reprobationis. Qui vel semel dignè de ara vivificâ se reficit, is fortitudinem parti-

participat, & vires; ut per quævis supplicia ad Martyrii palmam proponeret. Quid tu sentis de te ipso?

III. Est, quod jure, multi totis trement artubus, dum sacrosanctæ huic accumbunt mensæ citra ullam contritionem & peccati dolorem: MANDUCANT ENIM SIBI JUDICIUM ET DAMNATIONEM, juxta doctrinam S. Pauli. Ecquando contumeliam sanguini JESU Christi toties sacrilegè sumpto illatam resarcies?

Expendes singulos defectus tuarū confessionum, communionum; & generoso proposito ad id te resolves; ut sic imposterum utaris Sacramentis, quasi post eadem sumpta continuò esses moriturus.

Probet se ipsum homo. Cor. II.

Sunt Christiani mali, qui vocantur fideles, & non sunt; in quibus Sacra menta Christi patiuntur injuriam.
S. Aug,

XIX.

XIX. nus D I E S

De Sacrificio Missæ.

I. **M**issa ut in Ecclesia Dei vocant, est repræsentatio, seu renovatio quædam sacrificii in ara Crucis oblati. Quot diebus offertur à legitimè consecratis Sacerdotibus, quod unicâ tantùm vice perfectum fuit in monte Calvaria. An potero quid Deo gratius aut acceptabile magis facere, quàm dum piè, ac reverenter huic divinissimo mysterio assisto? ut verò cum fructu intersim; habebo eandem cum Sacerdote sacrificante intentionem, Dei scilicet æterno Patri offerendi, aut unicum cor meum cùm JESU Christi; ut simul Deo utrumque in odorem suavitatis offeratur.

II. In singulas fere horas divinam Majestatem offendimus, & nostra peccata aliud non merentur, quàm pœnas

nas æternas. Qui satisfaciemus rigori divinæ justitiæ , nisi offerendo , ac præsentando passiones & merita Salvatoris nostri , cui infinitis titulis inservire obligamur ? quidquid austeritatis subiérunt pœnitentes , tormentorum Martyres , afflictionum Confessores, quid confert absque Crucis sacrificio , cujus merita per incriuentum aræ sacrificium nobis applicantur ?


III. Vix appareat , quî sit possibile , ut Deus tot peccata hominum tam patienter sufferre queat ; nisi vide-ret in singulis penè pagis , oppidis , urbibusque , quamvis sint vitiis dis-soluta , unigenitum suum super altare pacificam & propitiatoriam immolari victimam : cujus intuitus extensum in pœnas justitiæ brachium retrahit . Quando peccata tua clamant vindictam , sanguis JESU inclamat misericordiam . Adoremus supplices hanc hostiam , & frequenter flexo poplite ante aram Domino Majestatis præstems

mus homagium. Aulæ Regum abundant ministris, qui diu noctuque vigiles stant in obsequiis sui Principis; in Ecclesia, quæ Domus Dei est, vix quisquam apparet: quanta Christianorum ignavia!

Resolves te, quot diebus, cā reverentiā, quam meretur, augustissimo huic Sacrificio interessē; ideoque perge ad Ecclesiam veluti ad montem Calvarie, ut assistas Christo pro te morienti.

In omni loco sacrificatur, & offeruntur nomini meo oblato munda. *Mala ch. 1.c.*

Tunc verè pro nobis hostia erit Deo, cùm nosmetipſos hostiam fecrimus. *S. Gregor.*



C

XX.

XX_{MUS} D I E S*De Eleemosyna.*

I. **Q**uis neget nos Christo obli-
gatissimos esse? cui, ut
possemus benefacere, pau-
peres & egenos suo loco constituit.
In Eucharistia moratur, ut eum ado-
remus: ipse autem adoratores car-
ne & sanguine pascit. Est in paupe-
ribus, ut nos ad compassionem com-
moveat, quâ inducti eosdem nutria-
mus & alamus. Magna felicitas ha-
bere gratiam dandi eleemosynas pro-
pter Christum: at infelix ille, cui
hæc gratia non contigit. Canes pa-
scis, JESUM finis fame emori: O
qualis injustitia! qualis barbaries!

II. Quod elargiris divitibus, penè
perditum est; quod Deo, semper
cum fœnore recipitur: usque adeò,
ut nec haustum frigidæ sine larga re-
compensatione admittat. Volupta-
tum

tum immodicus usus, luxus & pom-
pæ, convivia superflua, mille & plu-
res familias ad incitas redegerunt :
Eleemosynæ debitâ intentione factæ
ne uni nocuere. Benefacere Christo
in pauperibus quæstuosa est, & faci-
lis ars sine scelere ditescendi.

III. In die judicii extremi juxta
mensuram exhibitæ egenis & indi-
gentibus misericordiæ feretur decre-
toria æternitatis sententia. Quid re-
spondebunt ante dictum Dei tri-
bunal divitiarum inqui possessores ;
quando membra Christi per paupe-
res, & in his ipse Judex eorum hisce
exprobrabunt duritiem , ITE MALEDI-
CTI IN IGNEM ÆTERNUM ; ESURIVI
ENIM , ET NON DEDISTIS MIHI MANDU-
CARE , NUDUS FUI ET NON COOPERU-
ISTIS ME. Quantum in pauperes im-
misericors es , in tantum es repro-
bus ; verè benignus & liberalis in
inopes magnum habet argumentum
suæ adoptionis in filium Dei. Quid
poterit Judex supremus contra nos

C 2


agere,

agere , ubi se veste à nobis donatâ
coniectum videt ? quando panem &
argentum pauperibus submissum in
suis intuetur manibus ? Non est, quòd
metuamus ad justitiæ tribunal , ubi
pauperes patrocinabuntur causæ no-
stræ.

*Expende, quâ liberalitate sis in pau-
peres ; quomodo eisdem compatia-
ris : utrùm eos velut membra
Christi venereris ? an tue obliga-
tioni circa eosdem satisfasias , &
hactenus satisfeceris.*

Fœneratur Domino , qui miseretur
pauperis. *Proverb. 19.*

Date omnibus ; ne , cui non dede-
ritis ; ipse sit Christus. *S. Augustinus.*



XXI_{MUS} D I E S*De malo exemplo.*

I. **N**umerus illorum, qui malo exemplo interierunt, major est, quam sit eorum, qui Sanctorum instructione subtructi vitiis, cœlesti fruuntur gloriâ. Si lumbet, adi inferos, causam damnationis singulos interroga; qui vix aliud respondebunt, quam hujus, aut istius perversi mores occasionem dederunt meæ damnationi. Præceptum est dominicum, ut inimicos nostros diligamus: quanta ergo perversitas innocentes animas vitæ improbæ exemplo destruere? salutis suæ præsentius nullus subit periculum, quam qui animas sanguine Dei redemptas, & cœlestis gloriæ capaces adducit suppliciis æternis; quid speres consequi a CHRISTO JESU, cui subtrahisti homines tanto pretio redemptos?

C 3

II. Est,

II. Est, quòd meritò timeatis, ô parentes! si vitam Christiano nomine minùs dignam ducatis: præstaret filios vestros aut nunquam; aut certè à vobis natos non fuisse. An ideo eis dedistis vitam, ut morti & quidem æternæ traderetis? quando in judicio ultimo proles vestra à vobis-metipsis seducta, audiet damnationis suæ irrevocabilem sententiam, ô quanta vos confusio subibit!

III. INDUAMUS, monente S. Paulo,
DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM,
ejus nos vestiamus spiritu, prudentiâ
& virtute; ita ut frequentem ipsius
habeamus memoriam; ut, sicut ipse
ambulavit, ambulemus & nos; con-
versatio enim si bona fuerit, haud
minùs ad salutem confert proximi,
quàm scandalosa ad ejusdem damna-
tionem.

*Pete veniam delicti tui, quòd pro-
ximo occasionem & causam ruine-
spiri-*

spiritualis incautè, aut quod pejus,
malitiosè præbueris : quid opus est,
ut conscientiam tuam alienis pec-
catis oneres ? tua tibi crimina sat
grave onus imponent.

Vx homini , per quem scandalum
venit. *Matth. 18.*

Pro tanti's reus, quantos secum tra-
xerit in reatum ? *Salvian.*



XXII_{DUS} D I E S*De Cruce.*

I. **H**AUD ideo te Christo nomen dedisse arbitreris, ut opibus & honoribus studeas; vel voluptatibus, & vitae illecebris diffluas; non inquam Christianorum est ista profiteri. Mundis opiniones relinquas mundi amatoribus. Tua vita sit cum Christo crucifixo; cuius Crucem quantò minus amaveris, tantò plus fidei Christianæ renuncias.

II. Audi Evangelium: BEATI QUI LUGENT: VÆ VOBIS DIVITIBUS, QUI HABETIS CONSOLATIONEM VESTRAM IN HOC MUNDO. Ecce doctrinam Spiritus Sancti; at eò fervor Christianorum jam recidit, ut peregrina ista & barbara videatur: plurisque eam faciant Japones, ubi certatim martyrio accurrunt, quam Europæi, qui adeò crucem odrunt, ut eam vellent ex Evangelio erasam: an credis beatos illos, qui lugent, & in-

& infelices, qui consolationem suam habent in hoc Mundo? Interim est, & manet articulus sanctæ nostræ fidei: cui non minus nos assentiri necesse est; quam illi, in quo proponitur mysterium SS. TRINITATIS, aut dominicæ incarnationis,

III. Nunquid oportuit CHRISTUM PATI, ET ITA INTRARE IN GLORIAM SUAM? Nunquid hanc crucis viam, quotquot cœlos ingressi sunt, tenuerunt? & nos delicati sine ullis ærumnis, aut malorum perpessione prætendimus id possidere, quod Dei Filio, ejusque electis tanti stetit? Crucis amor est nota prædestinationis & argumentum divini favoris. Homo, qui refugit pati, proximus est, ut reprobetur: aut ergo hic temporaliter, aut alibi æternum patere.

*Adora Dei Filium è cruce pendentem,
Et pete fieri particeps ejusdem
crucis, ut vitâ gloriosâ merearis
aliquando cum eo frui.*

C5

Qui

Qui non bajulat crucem suam, non
est me dignus. *Luc. 14.*

Pudeat sub spinato capite mem-
brum fieri delicatum. *S. Bernar-
dus.*



XXIII_{TIUS} DIES*De confidentia in Deum.*

I. **C**orporis valetudinem, si minus fuerit prospera, artis medicæ perito confidimus: causas litigiosas Jurisperitis committimus: oculis privatus sœpè ab infante, nonnunquam à cane circumducitur, & securum se arbitratur: quanto magis sub Dei protectione tuti latebimus? si tamen Domino confidimus.

II. Quid reformidet homo ad Dei factus imaginem, & immenso pretioso sanguinis JESU CHRISTI redemptus? cum credit & videt, quod cura divinæ providentiae ad formicas, ad muscas usque fese extendat? Infideles, qui Deum non cognoscunt, nutritiuntur à Deo; impii & scelerati, qui blasphematores sunt sanctissimi ejus Nominis, complura accipiunt beneficia cœlestia: quid ergo erit tibi, qui Deum agnoscis, times, honoras, & amas?

III. Spes

III. Spes. cujuscunque boni securius
in Dei, quam in nostris quiescit mani-
bus : Ipsum sinamus de nobis dispon-
nere, PATER noster, simul & MATER
est : teneritudo amoris, quem
in filios suos gerit, non sinet esse im-
memorem eorundem : protecturum
nos se promisit, stabit utique verbis
suis veritas : cœlum & terra citius
peribunt, quam sinat sperantem in se
perire Deus.

*Vide, ô homo ! an conscientia tua ti-
bi det testimonium, quod in Dei
bonitate, & meritis JESU CHRI-
STI confidas.*

Deus meus es tu : in manibus tuis,
fortes meæ. *Psalmo 30.*

Projice te in eum ; non se subtra-
het, ut cadas. *S. Augustinus,*



XXIV.

XXIV_{TUS} DIES*De amore Dei.*

I. **S**IC Deus dilexit mundum,
ut dederit filium suum
unigenitum: melius quid si,
habuisset, utique & illud nobis donasset:
quo quæso præstantiori pretio
nostrum ille poterat amorem emere?
bonum mediocre habet in se, unde
possit & debeat amari; cur ergo non
ametur bonitas undique infinita? an
ideo refugis amare Deum, quia bo-
num infinitum est?

II. Præceptum est, & absolutè præ-
ceptum, **DILIGES DOMINUM DEUM
TUUM.** Quid hæres dubius? an hu-
jus mandati rigor nimius, ut dicis, te-
terret? arduum non est amare pul-
chritudinem infinitè amabilem. Ille
præcipit se amari ex toto corde; quid
minus infinitè amabilis Deus exigat à
corde, quod adeò modicum & limi-
tatum est? qui totum exigit, nihil ex-
cipit

cipit. Si partem ejus, quod petitur, dederis; vel minus aequo, vel nihil dederis.

III. Ipsi Dæmones, modò aternitas finiri posset, haud aegrè supplicia acerbissima inferni ad extremum usque diem judicii sustinerent? dummodo gratiam amandi Deum obtinere possent. Nullus damnatorum est, qui se infelicem existimaret, modò post quantilibet pœnarum sæcula vel exigua affulgeret spes unicum actum divini amoris eliciendi; nobis quolibet momento, si velimus, potestas est, amandi Deum; hoc negligere, malum est ipsomet pejus inferno.

Abdicato cujuscunque rei creatæ amore, contende, ut Deum ex omnibus viribus diligas.

Si charitatem non habuero, nihil sum. *1. Cor. 13.*

Si amare pigebat, redamare non pigeat. *S. Agustinus.*

XXV.

XXV_{TUS} D I E S

*De amore Domini nostri JESU
CHRISTI.*

I. **P**ræstantia animæ rationalis ex pretio, ejusdem causâ, perso- luto æstimari debet : quanti ergo stetit ? morte Dei, vitâ divinâ : inferni supplicia iniuriantes nostræ promerebantur : Dæmones & omnes creaturæ urgebant criminum puniti- onem ; quid Christus ? loco vindicæ paravit misericordiam : at quan- tam ? infinitam scilicet ; dum vitam & sanguinem, in probrofa cruce pro nostra redempzione profudit : exci- tet ergo & impellat amorem tuum, si non DEI te creantis benignitas, saltem J E S U C H R I S T I te redimentis charitas. Minimum , quod Christo debes , est , recentem servare beneficiorum memoriam. Si nolis

nolis vitam pro eodem exponere,
saltē amorem redde mutuum.

II. Cani porrigitur os aliquod homini inutile; & brutum animal protantillo beneficio amat, blanditur, & tuetur suum benefactorem: JESUS Salvator prævenit nos suis auxiliis, comitatur, & subsequitur: redemit nos suo sanguine, meritorum suorum facit nos participes, communicat nobis omnes thesauros suos; & tamen adeò indurati manemus ad amorem mutuum. Disce ô homo! disce, si tamen homo sis, non brutum, tuæ satisfacere obligationi, tuus te canis instruit, imò & judicat: hujus exemplum nî te reformaverit, ipsis bestiis magis bestialis es.


III. Cor habemus tenerrimum in obsequium & amorem amicorum. Eorundem beneficia, si quæ conferant, & magni facimus, & reddere nitimur: ubi beneficia Christi reciproco amore recompensanda sunt, ipsis saxis insensibiliores manemus: quis amicorum

rum pro te cruci affigi se sinet? ni
AMES, ANATHEMA sis.

*Corde contrito & humiliato, pronus
in terram, gratiam à CHRISTO
JESU petes; absque ejus gratia
nemo dignè amare potest.*

Si quis non amat Dominum JE-
SUM, sit anathema. *1.Cor.16.*

Si totum me debeo pro facto;
quid addam pro refecto, & refecto
hoc modo. *S.Bernard.*



XXVI_{TUS}. D I E S*De Amore proximi.*

I. **Q**ui non amat proximum suum , quem videt , Deum , quem non videt , quomodo amabit ? omnia opera nostra quantumvis videantur bona , nulla sunt nisi dilexerimus fratres nostros . Ipsi etiam Martyres , sine charitate abominabiles sunt Deo .

II. Ecce , HOC EST PRÆCEPTUM MEUM , dicit JESUS , ut DILIGATIS VOS INVICEM , SICUT DILEXI VOS . Ut diligam proximum meum , sicut me ipsum ; sufficit eundem à JESU CHRISTO amatum esse amore verè incomprehensibili . Delicatus sim necesse est , nisi medullitùs amem id , quod Salvator meus , plus quam se ipsum dilexit .

III. Diliges proximum tuum sicut eundem dilexit Christus ; hoc est , ejus

ejus amore bona temporalia, imò & vitam profundes. Forētne hoc nimium pro Christiano? interim ejusmodi amatores verè sunt Christi imitatores, & ejusdem futuri possefiores.

Excita in te desiderium & voluntatem efficacem eos verè amandi, quos Christus tam tenère dilexit: addes propositum, nunquam per Dei gratiam lèdendi proximum.

Qui diligit proximum suum, legem implevit. Rom. 13.

Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios Diaboli. *S. Augustinus.*



XXVII^{MUS} DIES*De dilectione inimicorum.*

I. **A** Deo proprium est Christianorum habere dilectionem, ut obligemur & ipsos inimicos diligere; JESUS CHRISTUS præivit nobis exemplo; cui & addidit præceptum: DEUS imperat, & homo prætendat obediendi difficultatem? DEUS in cruce oravit pro inimicis & tortoribus, & tu exiguam condonare injuriam refugias? ò qualis Christianus!

II. Quantum quisque fratri suo remiserit, tantum & non plus remitteretur ei à Deo; EADEM quippe MENSURA, QUA MENSIS FUERIMUS, REMETIETUR NOBIS. Christianus, qui querit vindictam, toties semetipsum damnat, quoties Orationem Dominicam recitare præsumperit. Ergo inimicos

LXXX

cos

eos nostros diligamus , aut nos ipsos
oderimus.

III. Duo Christiani , qui se invicem
odiis & simultatibus persequuntur ,
videntur diversæ esse religionis , nec
unam sectari fidem. Quo modo enim
illi , qui animis toti inter se dissident ,
eidem appropinquabunt altari , ean-
dem manducabunt escam , eundem
credent paradisum , & æternū simul
commorari sperabunt ? Non est lici-
tum odisse , nisi Dæmones , horum &
omnium damnatorum est , dissidiis à
se invicem separari. Reprobationis
non est apertius signum , quām nolle
inimicis errati dare veniam. Hoc in
te si sentias ; notam habes , ex qua co-
gnoscas , hæredem te esse inferni.

*Conscientiam tuam solerter , ante
Crucifixum Salvatorem excute ;
ac si in eadem rancorem aut odi-
um proximi repereris , de vulne-
ribus Christi charitatis ignem suc-
cendes.*

Qui

Qui non amat fratrem suum, homicida est. *I. Joan. 3.*

Vindicari vis Christianus, nondum vindicatus est Christus. *S. Augustinus.*



XXVIII_{vus} DIES*De imitatione Salvatoris nostri.*

I. **P**rimus homo, dum Dei ambit similitudinem, perit : reliqui omnes, nisi studeant, filio Dei assimilari, salvari non possunt. Is dum factus est homo, se normam vi-
tæ humanæ & morum regulam pro-
posuit : necessarium est, illius nos imaginem exprimere : cùmque ipse
sit caput prædestinatōrum, ab ejus quò longius similitudine recedimus,
eò reproborum numero viciniores sumus.

II. Quantā curā & sollicitudine in-
tendunt homines novis rationibus &
modis ad luxum pertinentibus : de
vita JESU CHRISTI & ejus imita-
tione quis est, qui recognitet ? aulici
efformant in se mores suorum Princi-
pum, discipuli magistrorum mores,
etsi turpes & deformes, ad insaniam
usque

usque imitantur : Et quis est, qui vel unam eāmque feriam COGITATIONEM de virtutibus filii Dei suscipiat ? O quanta confusio mea, quod hucusque tam exiguum fecerim progressum, immo ne gradum unum promoverim in Christo imitando ! ille præcedit promissis divinis, & pollicitationibus allicit, & vix unus est, qui sequatur. Quantum probrum !

III. Quid, amabo, poteris in die Judicii extremi excusationis prætendere tuis perversis moribus ; quando Christus ipse regula omnis honestatis tuam tibi ignaviam in sui seacula objiciet ? suam ille vitam opponet tuae, suam humilitatem nostrae superbiæ, sua sanctissima Vulnera nostræ mollitiei & illecebris. Ah ! quale prodigium ! Christianus absque eo, quod imitetur Christum ! baptizatus manet Diaboli mancipium ; sub crucis vexillo positus, carnem sequitur & mundum ! aut renuncies baptismo,

ptismo & factæ Christo professioni,
aut vitam vivas conformem vitæ tui
Salvatoris ; CHRISTIANUS TANTUM
EST, QUI SEQUITUR CHRISTUM.

*Labora ac erit te, ut Dei filium e-
xemplo & voce te vocantem imo
& trahentem non invitus sequa-
ris, ut tandem assequaris.*

Magister sequar te, quocunque je-
ris. Matth. 8.

Sine causa sum Christianus, si Chri-
stum non sequor. S. Bernardus.



XXIX_{NUS} DIES

Cultus beatæ MARIÆ Virginis.

I. **P**otius eligam non vivere, quam non devotus vivere MARIÆ; cor durum in cultum Virginis MARIÆ evellatur, si non mitescat. Animus humanus aut nihil amet, aut amet Virginem Matrem, aut plane cesseret vivere. Deus ipse puras inter creaturas meo amori nihil excellenter, aut purius, aut amabilius, aut melius creaverit. Quantam ergo existimationem & reverentiam, quem amorem & confidentiam in hanc Virginem Matrem habere nos convenit.

II. Si, quod Deus avertat, eò infelicitatis reciderem, ut nulla pietatis, aut consuetæ dovolutionis scintilla in me remaneret; cultum tamen Virginis MARIÆ, dum vita supererit, illæsum servabo: quascunque in angustias

gustias aut animi desperantis anxietates incidero, dum spiro, sperabo in hac Virgine: hæc mihi asylum erit & refugium: ejus patrocinio gratiam veræ conversionis habebo: etsi starem in præcipitio lapsûs in tartara, clamabo & invocabo MARIAM, ejus intra brachia ero securus. CLIENS MARIÆ NULLUS ÆTERNUM PERIT.

III. MARIA. Virgo thronus est clementiæ, ad quem securè peccatores confugiunt, opponéntque Justitiæ Dei ejusdem Matris misericordiam. Non parva portio gloriæ & felicitatis in cœlis MARIÆ est, quod beneficia suis cultoribus impetret, & gratiam peccatoribus quantumvis induratis à filio obtineat; si impiis benignam se & facilem præbeat; qualis Virginea hæc Mater erit in suos clientes, & fideles servos? an poterit Mater misericordiæ sententiæ suos condemnanti subserbere? nequaquam; sumus enim & manemus in possessione ejus bonitatis

D 2

tatis

tatis à mille sexcentis annis & pluribus : nunquid spes nostras hodie incipiet confundere ? gravius nemo læserit Deiparæ honorem, aut sibi ipsi plus nocuerit , quam diffidendo ejus patrociniis. Tum sciam me certò reprobum, ubi cultum MARIAE sepo-suero.

*Concipe firmum propositum innovanda devotionis in hanc Virginem,
& ex toto corde pronuncies sequentia :*

Dominare nostri tu & filius tuus.
Jud. 8.

O nomen MARIA, sub quo nemini desperandum est. *S. Augustinus.*



XXX.

XXXMUS D I E S

Devotio in sanctum Josephum.

I. **P**anegyrim sanctissimi Josephi duobus verbis complexus est Spiritus sanctus, dum eum Sponsum MARIAE & Patrem JESU appellavit. Non apparet, quomodo Deus puram creaturam altioris dignitatis gradu decorare potuisset, nisi vel JESU aut MARIAE æqualem redde-ret; esse similis cum Matre DEI eminentiæ, supplere locum & officium æterni Patris inter mortales, hæc enim verò adeo sublimis est dignitas, atque supereminens perfectio, ut hominum nullus ejusdem posse esse capax videatur.

II. Sanctus Josephus unicus est dispensator thesauri cœli: si quæ ingruat necessitas, de eadem Sponsum Christi interpellas: quidquid per ordinarium cursum divinæ providentiæ

D.3 diffi-

difficilè obtentu videtur, hujus Sancti intercessione facillimè obtinetur; quid JESUS CHRISTUS abneget illi in cœlo, cui subesse voluit in terris.

III. Devotio in hunc Sanctum vel ex eo crescat necesse est: quòd haud minor ejus sit bonitas quam potentia. Ut Pater Salvatoris nostri & conjux MARIAE Virginis fidelium omnium non minorem gerit curam, quam parentes priorum filiorum. Post tot praestita ab ipso officia JESU & MARIAE, quomodo non volet assistere iis, quos sancta Virgo tenerrimè amat, & pro quibus JESUS ipse mortem subiit.

Animæ tuae quietem in manibus sancti Josephi inquiras, ab eoque quot diebus gratiam efflagites, eo modo moriendi, quo ipse intra brachia JESU & MARIAE exspiravit.

Ite ad Joseph. Gen. 41.

Quam potentiores sunt in cœlis,
qui tam potentes fuere in terris. S.
Bernardus.

XXXI.

XXXI_{MUS} DIES*Cultus sanctorum Angelorum.*

I. **C**uique hominum à Deo assignatum Angelum tutelarem, communis est sensus Ecclesiæ. Si Princeps ex imperio Regis homini plebejo inserviret, ejus negotiorum curam ageret, quantus hic esset honor? at qualis illa beatorum spirituum bonitas, & submissio, quod vilibus nobis & abjectis peccatoribus non solum adesse, sed cum gaudio inservire, & nostri curam gerere non graventur. Inter Principem & rusticum saltem aliqua proportio, at hominem inter & Angelum nulla reperitur.

II. Sublimes illi & cœlestes spiritus, nostri custodes, sine intermissione ad sunt Clientibus suis, adhærent eorum lateri, habent eos continuò in oculis, sunt testes attentissimi omnium actionum, quantumvis secretarum. Si

D₄

contin-

contingeret te quot diebus & horis
adesse , viro. majestate & morum ho-
nestate gravi, & conspicuo, an. aude-
bis. dissolutius agere, aut gestus inde-
centes formare, aut his turpius quid
patrare ? an homo magis timendus
& observandus, an Angelus Custos ?

III. SPIRITUS hi ADMINISTRA-
TORII, tales enim sunt omnes, adeò
ferventes sunt in nostra obsequia, ut
sui quodammodo obliti , nostris tan-
tum videantur velle inservire com-
modis ; at quid mutui nos illis obse-
quii reddemus ? illi nos illuminant in
rebus agendis ; preces nostras, quas
fundimus, Deo offerunt ; consolantur
in adversis ; pericula corporis & ani-
mi divertunt ; in temptationibus , ut
victores evadamus, assistunt, tuentur
contra inimicos ; quot horis excitant
ad pœnitentiam & Dei amorem ; fre-
quenter nos admonent, ut peccata
fugiamus ; non raro ipsi Angeli suos.
Clientes castigant ; denique nihil eo-
rum

rum intermittunt, quæ saluti nostræ conducunt. Itaque indignus est hâc angelicâ tutelâ, quisquis Angelo suo nec reverens nec devotus assistit.

In hoc frequens sis, ut te Angelo tutelari tuo frequenter commendes; rogando, ut tibi in omnibus periculis, maximè in occasionibus pecandi & hora mortis assistere dignetur.

Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.
Psalmus 90.

In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habeas.
S. Bernardus.




6ml

D5

DOCU-

86 (82) 5



DOCUMENTA
VITÆ SANCTIORIS
PRO OPERIBUS
HOMINIS CHRISTIANI PIE
FACIENDIS.

CAPUT I.

*De Operibus per Diem
faciendis.*

§. I.

Modus manè surgendi.



Uoniam Dæmon nititur men-
tem nostram à Deo averte-
re, ne primitias cogitationum
eidem dedicemus, ideo ma-
gno conatu illi obnitendum.

I.mō

DOCET

D

I. Itaque diluculò surgendum cum Propheta Psal. 118. *Præveni in maturitate, & clamavi:* ac quasi audiens vocem Angeli S. Petrum momentis Act. 13. *surge velociter;* statim te expediās, in corde tuo dicens: *Hoc signum magni Regis est, eamus,* & offeramus ei munera.

II. Semotâ ergò non tantū malâ aut inani, sed & alienâ quâvis cogitatione, statim ad Deum te convertens, eum in cordis tui hospitiolum inducas, dicens: *O Deus meus, summum bonum meum! amo te super omnia, ad te laudandum & honorificandum surgens proprio, totius hujus diei actiones ad tuam gloriam offero:* Deinde signans te signo Crucis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

III. Vestes magnâ cum modestiâ ac verecundiâ assumes (sive solus sis, sive cum pluribus) memor præsentis Dei, Angeli custodis, aliorūmq; ejus diei Patronorum, quos interim piis suspi-

suspiriis, precibus, psalmis aut hymnis ferventi animo depromptis honorabis, ad fervorem in oratione, & sedulitatem in tuo munere impetrandum.

IV. Sic vestitus, rebusque aliis decenter compositis, ante arulam domesticam, aut piam imaginem in genua pro volvutus, gratias ages Deo pro beneficiis eâ nocte concessis. Deinde instanter postulabis gratiam peccata vitandi & tuo muneri juxta ejus voluntatem satisfaciendi. Adhæc offeres illi corpus & animam, cogitationes, verba & opera omnia totius diei decursu facienda, ad majorem Dei gloriam, atque in unionem perfectissimorum operum ac meritorum Christi Domini.

Postremò propositum facies vitan-
di aliquem defectum particularem,
& in aliquâ certâ virtute te exer-
cendi, petendo ad hæc gratiæ divinæ auxilium,

§. II.

§. II.

De Meditatione.

His ità transactis accinge te ad meditationem, quam pro Spiritu S. inspiratione, atque occupationum multitudine institues per horam, aut semihoram, vel saltem per quadrantem: Est enim res hæc in vita spirituali utilissima, immo necessaria: ex cuius neglectu plurima in orbem universum, atque in singulos etiam homines mala dimanant; ut meritò dixerit Propheta Jerem. c. 12. *desolatione desolata est terra: quia nemo est, qui recogitet;* Unde & in regulis Sodalitatis tam sollicitè suadetur rerum divinarum meditatio.. Ut autem rudem aliquam illius cognitionem habeant Tyrones, paucis complectar, quid sit, quas habeat partes & quomodo practicè fieri debeat. Itaque

I. Meditatio juxta Ludov. de Ponte
est

est Exercitatio internarum animæ rationalis potentiarum , nempe memoriae , intellectus ac voluntatis circa Deum ac mysteria potissimum fidei , cum collocutione internâ ac familiari cum Deo. Unde quatuor habet partes : *Prima* est exercitatio *memoriae* , quâ Dei præsentia adducitur ante oculos , & mysterium illud , circa quod meditandum est , in puncta distributum , repræsentatur , ac intellectui proponitur , cum actu heroico ferventis fidei , sine quo omnis meditatio languescit. *Secunda* pars est exercitatio *intellectus* circa propositam materiam , tum ut intimè percipiat , tum ut eliciat documenta virtutum , quæ voluntati amplectenda proponat. *Tertia* est exercitatio *voluntatis* , eliciendo varios affectus vel erga Deum , ut amoris , fiduciæ , gratitudinis &c. vel erga seipsum , ut odii , compunctionis , desiderii &c. qui finis est præcipuus meditationis. *Quarta* est petitio ardens eorum , quæ meditando

ditando intelleximus nobis expedire, cum fiduciali colloquio vel ad unam speciatim Personam Divinam, vel universim ad omnes, afferendo rationes, cur exaudiendi simus: vel ex parte Dei (quia infinitè bonus est, quia glorificabitur &c.) vel ex parte Christi (ob merita ejus) vel ex parte nostra, prætensâ scil. necessitate nostrâ, miseriisque variis. Utile omnino est addi colloquium ad B. M. V. Matrem tuam, & sanctos Patronos.

II. Meditatio, ut fructuosè fiat, practicè sic debet institui. *Primo* pridie materiam (quam abundè suppeditabit pars prior hujus opusculi, aut libelli annis superioribus pro strenâ oblati) accuratè prævidebis, & in puncta distribues, atque in iisdem cogitandis te somno dabis. *Secundo* manè facto S. Crucis signo materiam apud te revolves, aut, si quid fortè excidisset, releges. *Tertio* instante meditationis tempore, confer te ad locum orationi mentali peragendæ destinata.

destinatum : ubi hæc quatuor, quæ ab aliis præparatio & præludia meditationis nuncupantur, præstanta sunt.

1. Ut aliquanto spatio à loco meditationis distans animum colligas, cogitando te iturum ad Deum, cui etiam reverentiam exhibebis. 2. In loco ipso consistens in genua te congiætes (nisi infirmitas impedit) & orationem communem : *Actiones nostras, quesumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & à te cæpta finiatur, per Christum Dominum nostrum*, aut aliam similem recitabis, petendo à Deo, ut omnes animæ potentias (maximè memoriam, intellectum & voluntatem) ità dirigat, ut hæc actio ad tuam salutem, ipsiusq; gloriam procedat. 3. Loci constructionem facies, aptè ad materiam propositam, v. g. cogitando te rapi tanquam reum ad judicem : vel si tanquam in medio Patronorum tuorum flexis.

flexis genibus adesses : vel denique quasi mysterium , quod meditaberis , oculis videres. 4. Petenda est gratia particularis pro obtainendis affectibus v. g. *doloris de peccatis , odij , compunctionis , amoris &c.* quos in hac meditatione excitare voles. *Quartò* in ipsa meditatione percurres puncta meditationis proposita per rationes , similia , exempla , utilitates : personas , dicta , facta considerando , ac circa hæc discurrendo , affectusq; congruos excitando : ita tamen ut , si in uno puncto satisfiat tibi pro affectu , quem optas , ad alia non pergas. *Quintò* in Colloquio eosdem affectus magis magisque inflammabis , desideria & proposita tua Deo & Sanctis offeres , petesq; gratiam efficacem ad ea exequenda. *Sextò* examinabis meditationem , cogitando quomodo successerit : si benè , Deo ages gratias ; Si verò malè ; causas disquire : et si ex parte tua defectus fuit ; de illo doleas , ac deinceps vitare proponas.

Propo-

Proposita deinde annotabis, atq; ex-
ecutioni dare conaberis.

§. III.

De recitatione Officii.

Quoniam inter Sodales nonnulli sunt, qui ad Officium divinum tenentur, aut horas de B. V. si non quotidie: saltem diebus Festis ac Dominicis (prout Regulæ Sodalitatis suadent, & pia ferè omnium consuetudo obtinuit) recitare solent, in horum gratiam pauca, quæ ad hanc pietatem promovendam facere videbuntur huc referam.

Curandum igitur 1. ut animo valde collecto accedas, quo secundum Apostolum 1. Corint. 14. *Psalmas spiritu, psallas & mente*, aut cum Davide *psallas sapienter*, Psal. 4. 2. ut tempore in Ecclesia recepto, aut à viris piis usurpato pensum perfolvas: itaque tempestivè decipias, ne propter angustias ad festinandum com-

compellaris. 3. locum , quantum
fieri potest, quietum & decentem eli-
gas, ut est Templum, Oratorium, aut
alia pars domus honesta ac quieta ,
ubi nihil sit , quod sensus perturbet.
4. adhibenda est corporis modestia,
ac decens compositio, ut sit genibus
flexis (si vires ferant) aut , si imbe-
cillior sis, stes, vel sedeas, honeste ta-
men ac reverenter, tanquam in con-
spectu DEI , ac Ss. Angelorum. 5.
Initio animum præpares ad oratio-
nem , ne sis tanquam , qui tentat
Deum . Eccles. 18. quod fiet, cogita-
tiones vanas, aut alienas expellendo;
puram Divinæ laudis intentionem for-
mando, fervorem excitando, ac gra-
tiam perfectæ orationis (prout in me-
ditatione fieri afolet) postulando ac
Christo Domino in unione perfectissi-
mæ attentionis, quâ ipse Patrem lau-
davit. 6. Cave ab omni præcipi-
tatione, aut nimiâ festinatione (quæ
est stimulus Diaboli) ita ut singula
verba perfectè , intelligibiliterq; pro-
feras;

feras; ad quod te excitabit Dei præsentis, atque Angelorum memoria, qui in circuitu tuo consistunt. 7. Attentio præcipua sit ad Deum ipsum, ita tamen, ut non negligatur attentio tum ad verba (ut benè proferantur) tum ad fēsum ipsum, ut affectum tuum accommodes, excitando in te ipso timorem, amorem, desiderium, &c. sicut verba requirunt. 8. Asfuefacias te, ut in ipso decursu certis spatiis, ut ad *Gloria Patri &c.* intentionem, affectūmque renoves; reflexione brevi super actus tuos factā. 9. Denique Officio finito, illud offeres in honorem DEI, atque Ecclesiæ utilitatem: petésq; humiliter atque animo contrito veniam pro negligentiis, recitando Psalm. 116. *Laudate Dominum omnes gentes &c.* pro indulgentia consequenda.

§. IV.

§. IV.

De auditione Missæ.

Commodâ diei horâ augustissimum Missæ Sacrificium quotidie audiendum, in quo hæc *observabis*. 1. In ipso itinere versùs templum cogita te ire ad Montem Calvariæ, deliberans quid ibi acturus sis, aut quâ devotione adesse debeas. 2. In ingressu, lustrali te aquâ asperge atque actu contritionis excitato, Deum actu fidei, spei, & charitatis adora. 3. Ejusdem Sacrificii dignitatem, atque utilitatem aliquantis per considera, ac cum debita reverentiâ te ei affuturum propone. 4. Sacerdote necessaria apparante aut prodeunte, cogita Angelos adesse; ut Christum ferventer honorent: tu de tempore tuo erubesce. 5. Ad *confiteor*, peccata tua breviter percurre, & excitatâ contritione, renova propositum emendationis. In reliquis ad ea, quæ dicuntur (maxime

mē in Epistolā & Evangelio) si intel-
ligere possis, attende, aut certe Ro-
farium tuum ora. 6. Circa *Offerto-*
rium recole pia proposita ac deside-
ria, quæ illo Die habuisti, aut nego-
tia, quæ illo die occurrent, omnia &
singula Deo unā cum Sacerdotis obla-
tione commendans. 7. Ad *sursum*
corda, attende ad Passionem Christi,
quia hoc Sacrificium in Passionis me-
moriā fieri debet: atque in utro-
que *Memento* ora pro iis, pro quibus
teneris vel qui se precibus tuis com-
mendatos cupiant. 8. Ad *Elevatio-*
nem considera Christum in Cruce suf-
fixum & Patri supremo præsentatum
his verbis: *Respicie in faciem Christi*
tui Psal. 83. Ad hæc recogita Dei
beneficia in hoc potissimum Sacrificio
demonstrata: Sicque præpara te ad
communionem spiritualem, rogando
Christum Dominum, ut ad te veniat,
animum purget ab his N. vel istis N.
defectibus, eūmque ornet virtutibus
oppositis: hac præparatione præmis-
sa,

6m

sa, cum Sacerdote spiritualiter, desiderio intimæ cum Christo unionis excitato, communica. 9. Gratias age: & gratulare Deo de perfectionibus divinis, tua proposita, (aut vota, si quæ fecisti) coram Deo renova ac singillatim omnia opera illi offer, maximè illud de quo examen particulare instituis.

Nihil hic addo de Ss. Missæ sacrificio ritè peragendo, cum illius praxes variæ & sanctissimæ versentur passim in manibus Sacerdotum.

§. V.

De studijs aut negotiorum tractatione.

IN studiis, aliorūmque negotiorum tractatione, tria præcipue à Sodali Christianæ perfectionis studioſo spectanda sunt.

1. Ut suæ imbecillitatis conscius, Deum pro auxilio impetrando adeat, fusâ vel illa oratione communi, *Actiones*

cōtiones nostras, quāsumus Domine!
aspirando præveni &c. vel alia D.
Thomæ Creator ineffabilis &c. ex of-
ficio B. V. vel Hymno ad S. Spiritum,
Veni sancte Spiritus, & emitte cœ-
litūs lucis tuæ radium. Ex te enim,
in te, per te sunt omnia.

2. Ut puram intentionem formet
 dirigendo omnia studia atque actiones suas ad Dei gloriam.

3. Ut quamvis à Deo præcipue auxilium expectare debeat, nihilò secius ità sibi laborandum putet, quasi per vires humanas cuncta agenda forent; uti se initio conversionis edoctum dicebat S. Augustinus. *Ribadeneira l.*

3. proderit autem plurimùm si aliquoties inter ipsa studia, aliave negotia animum ad Deum eleves per preces aliquot jaculatorias vel renovando intentionem, vel implorando Dei auxilium. In fine porrò operis tui recollige te, & vide quos defectus commiseris: de iis dole ac emendationem propone. Si omnia benè successerint, Deo gratias age.

Pro

*Pro Junioribus monita addo se-
quentia.*

1. Sodali domum reverso caven-
dum, ne aut per domum obambulet,
aut in Musæo deses resideat, sed ma-
gnâ cum alacritate, etiamsi nulli Pæ-
dagogo subsit (tanquam præsente An-
gelo custode, aut Deo, cui aliquando
rationem redditurus est) ad studia se
conferat, ea tractando, quæ præsens
necessitas requiret, secundum modum
à Professore, Magistro, Præceptore,
vel aliis præscriptum, ut fructus se-
quatur. 2. Curet, ut puram ac sin-
ceram intentionem habeat, studendo,
ut ait *S. Bernard. Serm. 36. in Cant.*
non ad curiositatem, ut sciat, quia
vanitas est : non ad gloriam conse-
quendam, quia ambitio est : non ad
opes comparandas, quia avaritia est ;
sed potius ad Dei gloriam, ut suam,
aliorūmque salutem promoveat; quæ
sola Charitas est. Ad nitendum ita-
que, ut si in humanioribus literis, aut
Philosophia detinearis, ad altiora stu-

E dia

dia aptior fias : si Theologus es , ut idoneus Ecclesiæ Minister evadas : aut si Jurista , sis Reipublicæ utilis ac iustitiæ custos. 3. Studia omnia cum virtute ac honestis moribus conjungenda , eo quidem modo , ut potior virtutis ac morum honestorum ratio habeatur , dicendo cum Prophetæ , Psal. 118. *Bonitatem , Disciplinam , ac Scientiam doce me.* Unde nunquam committendum , ut orationem , sacrum , examina , aliisque id genus exercitia , ad Dei cultum & animæ salutem spectantia , studiorum amore prætermittas. 4. Cavendum , ne curiosa , aut à studiis , in quibus modò versaris , aliena tractare incipias ; sed tantum utilia , eaque præcipue , quæ cum Professorum ac Magistrorum voluntate , institutione , ac doctrinâ maximè convenient ; ut quamvis aliquando sententiæ diversæ (quemadmodum in Philosophicis , aut Theologicis fieri amat) proponantur , eas tamen cum Magistrorum veneratione ,
sinè

sinè ullo contemptu aut detractione suscipias, gaudendo, quod utriusque sententiae fundamenta addiscere hac ratione liceat. 5. Ad scholas modestè ac decenter accedas, non fabulando, aut circumspiciendo: in schoulis autem eâdem modestiâ, atque attentione persiste, ea, quæ à Magistris proponentur, animo prompto, aut etiam scripto, ne excidant, excipiendo: & si quæ dubia occurrent, annotando, non ut superbus Censor, aut doctrinæ traditæ contemptor, ea suo tempore proponas, sed, ut iis dissolutis, rei veritatem melius comprehendas. 6. In repetitione ac disputatione tam publicâ quam privatâ curabis, ut cum humilitate ac modestiâ, ea, quæ proponenda videbuntur, in medium afferas, non ut superciliosus impugnator, sed velut simplicis veritatis indagator, abstinendo à verbis inutilibus, superfluis ac contentiosis, juxta S. Pauli monitum *ad Titum* 3. stultas quæstiones, contentiones & pugnas verborum devita.

E 2

§. VI.

§. VI.

De Examine Conscientiae ante meridiem.

Plurimi sunt viri pii & nobilitate etiam illustres, qui memores illius dicti S. Job. c. 3. *antequam comedam suspiro*, nunquam mensæ accumbunt, nisi priùs partis diei jam transactæ rationem coram Deo ineant, indignum judicantes, Prandum de Manu DEI suscipere, nisi priùs examinaverint, an illud officio præstanto meriti sint: præsertim cum apud Indorum Gymnosopistas (apud Apuleium l. 1. Florid. atq; apud Alexandrum ab Alexand. Neapol. l. 5. Genialium dierum c. 21.) solo naturali lumine utentes usurpatum sciant, ut juvenes, positâ mensâ, examinarentur, quid boni egissent? ac si quis nihil proferre posset, impransus dimittebatur. Modus autem faciendi examinis infrâ §. 12. & circa finem Libelli hujus invenietur.

§. VII.

§. VII.

De Prandio sumendo.

QUAMVIS cibus sit homini ad vitam sustentandam necessarius, tamen tot in illius usū Dæmonis insidiæ occurunt, ut sæpè plus obsit animæ, quam prospic corpori. Itaque ante omnia providendum, ut corporis cibum sumas, ut mentis merita simul promoveas.

1. Igitur examinatâ, ut dixi, conscientiâ cum pudore mensam accedes, agnoscens te ob defectus jam deprehensos & negligentiam in Dei servitio admissam prandio indignum esse.

2. Intentione dein ad Deum directa constitue cibum sumere ut necessitati servias, non ut indulgeas voluptati; ut scilicet vires reficias, quod postmodum Deo alacrius valeas de servire juxta illud Apost. 1. Cor. 10.
sive manducatis, sive bibitis, omnia

E 3

ad

ad majorem Dei gloriam facite. Unde &

3. Benedictio piè ac devotè præmittenda est, ac postmodum modestè & quietè edendum, fabulis omissis, attendendo ad lectionem, si ea habeatur, aut certè piis cogitationibus mentem occupando, ne animus (ut dici solet) *totus sit in patinis.*

4. Si cum pluribus edendum, honestatis & charitatis rationem ita habet; ut meliora potius cedas, sciens, naturam, quamdiu sanus fueris, modico nec exquisito adeò cibo contentam esse.

5. Refectione sumptâ modestè ad orationem consurgens gratias age Deo, qui te, licet immeritum, tam benignè liberaliterque refecerit: ac lotis decenter manibus ad locum recreationi assignatum, graviter ac modestè te recipias, defectus, si quos admiseris, ruminando, & de iis dolendo: atque ipsam refectionem, ut animæ pariter ac corpori prosit, Deo offerendo.

§.VIII.

§. VIII.

De recreatione.

Cibo sumpto, ut melior concoctio fiat, solet brevis aliqua relaxatio usurpari, quæ ne animæ obsit, diligenter est curandum. Itaq; *primò* rectam tibi formabis intentionem, ut scilicet illam statuas admittere ad Dei gloriam, in cuius conspectu te ipsum constitues, postea melius procurandam. *Secundò* si in communi cœtu vivas, tempore recreationis cave, ne sis singularis, tetricus, aut morosus: ne item levis aut immodestus; sed de re aliqua utili ac honesta libenter cum aliis conferes, sinè verborum asperitate aut contentione; amandatis procul detractionibus, clamoribus, aliisque linguae vitiis, ut hæc etiam actio ad fructum aliquem spiritualem dirigatur. *Tertiò* recreatione finitâ animo ad modestiam composito de erratis (si quæ fortè hoc tempore acci-

acciderint) dolebis : veniam humiliter posces ; faciesque proposita reliquam diei partem transfigendi melius, servando ea, quae superius dicta sunt sequenti etiam tempori communia.

§. IX.

De Lectione spirituali.

HÆc ad profectum spiritualem mire conduit, intellectum illuminando, & affectum ad orationem, meditationem, aliisque vitæ spiritualis exercitia accendendo. Itaque

1. Librum certum habeas, in quo, tempore ad hoc constituto, aliquid quotidie legas ; quod ut fiat utiliter, præparanda est in primis anima per intentionem purè in Deum & profectum tuum spiritualem relatam atque brevem invocationem Spiritus Sancti, quā roges donari tibi cœlitus lumen intellectus seu gratiam agnoscendi, quid Deus à te requirat ; unā cum serio proposito cognitam Dei volunt-

voluntatem exequendi. Huic præparationi aptissimam formulam tradit *Thom. Kempensis l. 3. c. 2.* quam proinde piæ lectioni semper præmittendam suadeo.

2. Non cursim & festinanter, sed tractim, seriò, cum magna reverentia, atque animi attentione legendum lectionem quoque interrumpat aliquando pia consideratio, atque brevis oratio, ad gratiam, bona, quæ legeris faciendi, mala vitandi, impertrandam; formanda proposita lectio ni congrua &c.

3. Lectio sit moderata, ne tedium aut satietas irrepat; sed pauca legantur, plura cogitentur; quonam scil. modo, quæ legeris in praxin possis redigere: pro quo & gratiam à Deo singularem petas per intercessionem B. V. & Ss. Patronorum.

§. X.

De occupationibus externis.

IN occupationibus externis conandum est maximè, 1. ut in omnibus recta & pura sit intentio, ne ad vanum plausum, aut lucrum temporale, sed ad Dei gloriam fiant: itemq; ad obedientiam (si à superiore præcipiantur) aut ad charitatem proximi, cum humilitate, patientiâ ac suî mortificatione, si quid fortè laboriosum occurrat, illud Deo pro peccatis suis offerendo in satisfactionem.

2. Tempore hujus occupationis appetente sine mora, in Dei nomine, atq; conspectu inchoetur, elevando identidem oculos mentis ad Deum per jaculatorias oratiunculas: adjungendo etiam actus virtutis, modestiæ, devotionis, mansuetudinis &c.

3. In fine officia peracta Christo Domino offerantur in unione humilium ejus obsequiorum & ministeriorum,

rum, cum humili & fervente postulatione veniae pro admissis defectibus.

§. XI.

De recollectione horariâ & Salutatione Angelicâ.

I. **A**D profectum spiritualem plurimum conductit *recollectio horaria*, quæ in eo consistit, ut singulis horis te colligens examines coram Deo, 1. horam præteritam, 2. proposita manè facta, tum circa alia in genere, tum circa materiam particularis examinis ; deniq; aliquid breviter ores v. g. ad B. V. *Maria Mater gratiae*, *Mater misericordie*, *tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe*. Aut ad Deum renovando memoriam ejus præsentiae per Orationem Dominicam, circa petitiones singulas aliquid postulando, in primâ puram intentionem : in 2dâ gratiam : in 3tiâ resignationem : in 4tâ fiduciam de paternâ

paternâ Dei providentiâ : in 5tâ Charitatem in proximum : in 6tâ humilitatem, cum tot periculis subjaceas : in 7timâ demum propositum vitandi peccata, maxime peccatum, circa quod examen particulare instituis.

II. Ad pulsū Salutationis Angelicæ ter *Ave Maria &c.* recitabis, gratias agendo 1. pro *Creatione* : 2. pro *Incarnatione* : 3. pro *Redemptione* : adjungens hanc vel aliam oratiunculam. *Benedictus sit Deus Pater, qui me creavit, Unigenitusq; Dei Filius, qui pro me de cœlis descendit, & incarnatus est, Sanctus quoque Spiritus, qui fecit mecum misericordiam suam. Ex te enim, in te, & per te sunt omnia Domine Deus meus.*

§. XII.

De Examine Vespertino.

Die hâc ratione orationibus, studiis, variisque occupationibus trans-

transacto, circa vesperam more prudentis Patrisfamilias domus interior propriæ conscientiæ scrutanda est. Hoc enim exercitium omnium Ascetarum testimonio est utilissimum, quinque punctis constans, 1. Gratiarum actione pro beneficiis à Deo acceptis, 2. postulatione lucis cœlestis, quâ peccata cognoscas. 3. Discussione ipsâ conscientiæ, discurrendo per singulas horas à postremo Examîne, lustrandôq; defectus omnes atque omissions, in Cogitationibus, Verbis, atque Operibus. 4. Veniæ pro defectibus admissis postulatione. 5. Proposito de peccatis deinceps vitandis. Praxi ejus per modum orationis subnectam ad finem Libelli.

Huic Examini quod generale vocant, quia circa omnes defectus in genere versatur, adjungi solet aliud, quod particulare appellant, quia circa unum particularem defectum (v. g. iracundiam) extirpandum, aut circa unam virtutem, v. g. Patientiam inferen-

ferendam versatur. Complectitur autem tria tempora. 1. Matutinum, quod gratiâ à Deo petitâ propositum fit de certo defectu vitando, aut virte certâ acquirendâ. 2dum tempus est meridianum, quo prima fit discussio, petendo gratiam, & renovando propositum manè factum. 3tium est vespertinum, quo secunda fit discussio, adhibita simili postulatione atq; proposito. Duo autem addi solent. 1. Ut numerus lapsuum in tabellâ ad hoc paratâ annotetur, idque per dies, atq; septimanas. 2. Ut comparatio fiat dierum, septimanarum, &c. ut de fructu constet.

§. XIII.

De modo visitandi Christum in Ss. Eucharistiâ.

CRebriùs per diem visitare Christum in Venerabili Sacramento, piissima est, ac utilissima plurimorum Sodalium consuetudo : Cujus praxis in

in his consistit; 1. Inter eundem ad locum, ubi Venerabile Sacramentum asservatur, cogita, ad quem, cur, & quis? accedas. 2. Locum illum ingressus, profundum & humilem Deo tuo exhibe reverentiam. 3. Submississimè eum saluta per vivos & ardentest actus Fidei, Spei, & Charitatis. 4. Tuam aliorūmque tibi commendatorum necessitatem Deo commenda per preces vocales, quas aperto corde; quantum tempus & negotia patientur, cum magnâ fiducia effundes. 5. Te, tibique commissos & charos Divinæ tutelæ commenda: ac demum, benedictione humiliter petitâ, abscede. Visitationis hujus formulas subjungo varias; quibus, si gustui tuo sint accommodatae uti poteris.

Salutatio I.

AVe Panis Angelorum, factus cibus Viatorum, verè Panis Filiorum, non mittendus canibus. Amabilissime JESU! nec vulnera tua Sacrosancta

croſancta cum Thomā intueor; nec
pedes sanctissimos cum Magdalena te-
neo; vivā tamen fide Te Dominum
ac Deum meum agnosco & ample-
ctor. Spero in Te, amo Te, & ama-
bo Te in æternum super omnia. Gra-
tias ago Tibi pro universis beneficiis
ac præsertim pro hujus noctis Custo-
diâ. Doleo de ingratitudine, omni-
búsque vitæ meæ negligentiis. Fir-
miter autem statuo servare iudicia ju-
ſitiae tuæ declinare à malo, præsertim
hoc NN. & facere bonum NN. Dixi:
nunc cœpi. Conforta cor meum, ô
Bone JESU, Deus meus, & omnia !

ORATIO ad Patronos.

SUccurrite mihi clienti vestro hodie
fideliter, ô SS. Patroni mei, S. Ma-
ria Mater Dei, S. Michaël, S. Josephe,
S. Joannes NN. S. Barbara, S. Catha-
rina &c. cum omnibus Ss. præsertim,
quorum hodie memoria agitur ! me
contra omnes hostes strenuè defendi-
te, nunc & in hora mortis meæ. Amen.

Ad.

Ad B.M.V.

O Domina mea, S. Maria! suscipe
me in tuam benedictam fidem ac
singularem custodiam, & in sinum mi-
sericordiae tuæ, hodie, quotidie, & in
horâ exitûs mei: & corpus & ani-
mam meam Tibi commendô: omnem
spem meam, omnes angustias & misé-
rias meas, vitam & finem vitæ meæ
tibi committo, ut per tuam interces-
sionem & per merita tua mea dirigan-
tur & disponantur opera secundum
Tuam, Tuiq; Filii voluntatem. Amen.

Ad Angelum Custodem.

O Bsecro Te Angelice Spiritus, Cu-
stos & Tutor meus fidelis, ut in
via pacis & salutis Te duce hodie di-
rigar, atque ab omni malo Spiritu,
gravique tentatione defendar, peto
etiam favente Te ac juvante, mihi
præsidium dari, ut secundum DEI vo-
luntatem vitia fugiam, & virtutes
Christianas exerceam, quoad Tecum
com-

communi Domino in cœlesti patria
lætus affistam.

Vel breviūs.

Angele Dei, qui Custos es mei, me
Tibi commissum pietate supernâ
hodie, & in horâ mortis meæ illumina,
custodi, rege, & gubernâ. Amen.

*Preces alias pro opportunitate hic
coram Deo tuo effunde
Commendatio & Petitio Bene-
dictionis.*

IN Manus Tuas commendo Spiritum
meum, Domine DEUS veritatis!
fuscipe me servum tuum, quem pre-
tioso Sanguine redemisti, Tibi semper
adhærere mihi bonum est, & in Te
Domino meo ponere spem meam.
Quid enim mihi est in cœlo, & à Te
quid volui super terram? Tu pars
hæreditatis meæ; Tu es, qui restitu-
es hæreditatem meam mihi. Bene-
dic mihi Domine JESU, & intra sacra
Vulnera Tua absconde me.

Salu-

Salutatio II.

A Ve Domine Jesu Christe, verus Deus & homo, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto te mihi nascens in solum, convescens in edulium, moriens in pretium, regnans in præmium dare dignatus es ! Ego pulvis & cinis, indignus conspectu tuo, ob innumera peccata mea, de quibus doleo, te Dominum ac Deum cordis mei hîc verè præsentem saluto, adoro, laudo & glorifico : & ab omnibus super omnia adorari, laudari, & amari desidero. Agnosco & amplector Charitatem tuam, quâ cum Patre & Spiritu S. me sic dilexisti, creâsti, redemisti, justificâsti (*ad dignitatem Sacerdotalem, & ad hanc tam amabilem Religionem vocâsti & hactenus conservâsti*) atque ut spero ad æternam Salutem prædestinâsti : Ex toto cordis affectu gratias ago : atque in sacrificium laudis & gratiarum actionis, omnium SS. merita, & meipsum

tibi

Tibi in unione Passionis & Mortis tuæ offero : totus tuus esse , & permanere desidero , sicut tu totus meus esse dignaris. O JESU, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum ! In te , O infallibilis veritas ! credo : spero in te , O unica spes mea ; Amo te super omnia & semper amare desidero , O infinita bonitas ! Gaudeo de omnibus bonis tuis : méque tibi totum resigno. Utinam te semper sic amâsssem , & nunc ex toto corde amarem : nec unquam offendissem ! Doleo de omnibus peccatis meis , quia tibi , quem diligo , displicent : cupio & propono serio omnia emendare , & pro iis satisfacere ; veniam proinde cum finali gratia precor , & spero per te , ô bone JESU , in cuius meritorum abyssum me demergo. Tu supplere digneris imperfectum meum : méq; tuo in omnibus conforma beneplacito : nec in æternum permittas me separari à te , sed in Societate & Gratia tua conserva me. In te vivam , in te moriar , O JESU amor meus ! Ah tandem fruar te in æternum ! Ad.

*Ad B. V. & S. S. Josephum,
Joachim & Annam.
Pro Constantia & felici Morte.*

Virgo Mater Salvatoris
Apud tuum Filium,
Tui erga nos favoris
Impende Auxilium,
Te tuosq; Genitores
Cum Sponso charissimo,
Imploramus peccatores,
Corde devotissimo.

*¶. Ora pro nobis cum Sponso & Pa-
rentibus sancta Dei Genitrix!
¶. Ut digni efficiamur promissionibus
Christi.*

Oremus.

Sancta Maria, Regina cœlorum, Ma-
ter Domini nostri Iesu Christi, &
mundi Domina, quæ nullum derelin-
quis, & nullum despicias! respice me
clementer oculo pietatis, & impetra
mihi apud Filium tuum dilectum cun-
ctorum veniam peccatorum, in voca-
tione constantiam & gratiam finalem:
ut

ut qui nunc te, & B. Josephum Sponsum tuum, & Ss. Parentes tuos Joachim & Annam deyoto affectu reco-lo, æternum in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante Domino nostro JESU Christo, qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

*Recita Hymnum aliquem de B. V.
v.g. Salve Regina, vel alium temporis
convenientem: Rosarium, vel Officium
divinum, vel alias Preces pro libitu.*

Commendatio.

Commendo me tibi ô bone JESU! Intra mellifluum Cor tuum absconde me: nec unquam permitte me separari à te. Esto mihi in vita solatium, in morte viaticum, in æternitate præmium. Id rogo te pro me & omnibus amicis meis per lacrymas, sudorem & sanguinem tuum, Amen. Pete Benedictionem.

Salu-

Salutatio III.

AVe verum Corpus natum, de Maria Virgine, verè passum, immolatum in cruce pro homine : Cujus Latus perforatum undâ fluxit & sanguine : Esto mihi prægustatum mortis in examine. O JESU in te credo, ô JESU in te spero, ô JESU te amo : te revereor, te adoro, mi JESU ! O bone JESU, ô pie JESU, ô dulcis JESU ! esto mihi JESUS, & fac ut vivam juxta Spiritum tuum, infere cordi meo dulcissimum Nomen tuum, ut tibi vivam, tibique moriar, ô benignissime JESU ! JESU ! JESU !

Ad Cor JESU.

SAlve scissum cum tremore
JESU Cor dulcissimum,
Nobis patens ex amore
Præsta Cordis gaudium
Det virtutum cum splendore
Charitas incendium.

¶. JESU mitis, & humilis corde!

R. Fac Cor nostrum secundum Cor
Tuum.

Ore-

Oremus.

Respice quæsumus, misericordissime Deus ! in Cor dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuisti, ejusq; sacratissimi Cordis mœroribus, quos nostri causa pertulit, & dignis satisfactionibus, quas pro nobis tibi placatus persolvit, concede quæsumus, Corde contrito pententibus nostrorum veniam peccatorum, & tanto Christi Amore Cor nostrum accende, ut ipsius divini Cordis affectibus toti incensi secundum Cor tuum inveniri mereamur per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

*Oratio ad Christum**Pro impetrando Amore Dei.*

Domine Jesu Christe pro nobis crucifice ! rogo te per salutifera Vulnera tua, è quibus manavit pretiosus ille Sanguis, quo sumus redempti, vulnera animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es : vulnera eam igneo & potentissimo telo

telo tuæ nimiæ Charitatis : confige
cor meum jaculo tui amoris, & dicat
tibi anima mea, Charitate tuâ vul-
nerata sum itâ, ut ex ipso vulnere a-
moris tui ubertim fluant lacrymæ die
ac nocte. Percute Domine! percute
durissimam mentem meam piâ & va-
lidâ cuspidé Dilectionis tuæ ; & altius
ad intima penetra potente virtute,
qui vivis & regnas &c.

*Deinde totus erumpe in Xaveria-
num hunc Amoris affectum.*

O DEUS ! ego amo te,
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Æterno punis igne.
Tu tu , mi JESU ! totum me
Amplexus es in Cruce :
Tulisti Claves, Lanceam,
Multamque Ignominiam,
Innumeros Dolores,
Sudores, & Angores,
Ac Mortem, & haec propter me,
Ac pro me peccatore.

F

Cur

Cur igitur non amem te?
 O JESU amantissime!
 Non ut in Cœlo salves me,
 Aut ne æternūm damnes me:
 Nec præmii ullius spe;
 Sed sicut tu amâsti
 Sic amo & amabo Te,
 Solūm quia Rex meus es,
 Et solūm, quia Deus es.

Commendatio.

OJESU mi dulcissime, me servum
 tuum suscipe, quem pretioso sanguine redemisti. Dignare me die isto,
 sinè peccato custodire: obumbra me
 meosque scapulis tuis, circumdet me
 scuto Veritas tua: & non timebo,
 quid faciat mihi homo.

Salutatio IV.

AVe salus mundi, Verbum Patris,
 Hostia sacra, Verus Homo, Cor-
 pus & Sanguis Domini nostri JESU
 Christi.

Adoro te devotè latens Deitas
 Quæ sub his figuris verè latitas!

Tibi

Tibi se cor meum totum subjicit:
Quia te contemplans totum deficit.
Visus, gustus, tactus in te fallitur;
Sed auditu solo tutò creditur:
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas;
At hic latet simul & Humanitas;
Ambo tamen in te credens atq; con-
fitens,
Peto quod petivit Latro pœnitens.&c.
Pie Pelicane JESU Domine!
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
JESu quem vèlatum nunc aspicio!
Oro fiat istud, quod tam filio
Ut te revelatâ cernens facie
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

*Aspirationes Piæ
sancti Augustini crebrò usurpandæ.*

Domine JESU! noverim me, nove-
rim te:
Nec aliquid cupiam nisi te.

F 2 Oderim

Oderim me & amem te,
 Omnia agam propter te,
 Humiliem me, exalte te,
 Nihil cogitem, nisi te,
 Mortificem me & vivam in te,
 Quæcunq; eveniant, accipiam à te,
 Persequar me, sequar te,
 Sempérq; optem sequi te.
 Fugiam me, confugiam ad te;
 Ut merear defendi à te.
 Timeam mihi, timeam te,
 Et sim inter Electos à te.
 Diffidam mihi, fidam in te,
 Obedire velim propter te.
 Ad nihil afficiar, nisi ad te,
 Et pauper sim propter te.
Aspice me, ut diligam te,
 Voca me, ut videam te,
 Et in æternum fruar te.

Oremus.

Absolet, quæsumus, Domine JE-SU Christe ! mentem meam, ignita & melliflua vis amoris tui ab omnibus, quæ sub cœlo sunt, ut amore tui moriar,

moriar, qui amore mei dignatus es
mori in ligno Crucis, qui vivis & re-
gnas &c.

Oratio ad Deum.

pro Humilitate impetranda.

Deus, qui superbis resistis, Humili-
bus autem das gratiam, auge
in Nobis veræ Humilitatis virtutem,
cujus in se figuram Unigenitus Filius
tuus exhibuit! ut nunquam indignationem
tuam provocemus elati, sed
potius pietatis tuæ capiamus dona
subjecti, per Christum Dominum No-
strum. Amen.

NB. Statue, aliquot actus Humilita-
tis exequi.

Invocatio Patronorum, & aliæ preces
fiant ad libitum.

Commendatio & petitio Benedictio-
nis ut suprà.

Salutatio V.

SAlve Venerabile Sacramentum, Ma-
gnum salutis meæ pretium! ne pa-
F 3 tere,

tere, obsecro, ut per me illud, quod tantis tibi Amoris & doloris stetit impensis, frustra sit erogatum.

Salve viaticum in Domino morientium! dona, ut per te semper vivam, sinè te non moriar, hoc rogo te per illum, qui te hīc detinet, amorem.

Salve pignus futuræ gloriæ! utinam ita utar pignore, ut gloriā non excidam!

Salve JESU, amor cordis mei, qui me plus dilexisti, quam te, qui mori voluisti pro me. Agnosco tuam erga me Charitatem & Gratias ago: Te supplex adoro: tibi credo, te spero, tibi me penitus trado.

Affectus

S. Ignatio Familiaris.

ANima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi lava me,
Passio Christi conforta me.
O Bone JESU! exaudi me,

Intra

Intra vulnera tua absconde me,
Ne permittas me separari à te,
Ab hoste maligno defende me,
In horâ mortis meæ voca me
Et jube me venire ad te
Ut cum Sanctis tuis Laudem te
In sæcula sæculorum, Amen.

*Ad Ss. Trinitatem,
Oratio pro felici Morte.*

Pater æterne ! per infinitam bonitatem tuam, per vitam & mortem Dilectissimi Filii tui, te rogo, concede mihi, ut in gretiâ tuâ semper vivam & moriar.

Benignissime JESU ! per amorem Patris tui, quo te ab æterno complexus est, per ultima verba, quibus in eruce Patri Spiritum tuum commendâsti, rogo te : suscipe Spiritum meum in fine vitæ meæ.

O sancte Spiritus ! accende in me perfectam charitatem, & in illâ spiritum meum confirma, dum ex hâc vita emigrat.

F 4

San-

Sanctissima Trinitas, Unus Deus,
Pater, Fili, & Spiritus sancte! misere-
rere mei nunc, & in hora mortis meæ,
Amen.

*Fiant preces aliæ pro libitu, præser-
tim vespertinæ, quibus peractio
sequitur,*

Petitio Benedictionis.

Dignare Domine Iesu, cum Patre
& S. Spiritu, dare mihi, Meisq;
tuam Benedictionem, uberémq; gra-
tiam, ut tibi in somno & vigiliâ, in
vita & morte puro corde, & casto
corpore perfectè semper placeamus.

Benedicat & custodiat Nos omni-
potens & misericors Deus, Pater **+**
& Filius **+**, & Spiritus. **+** sanctus,
Amen.

§. XIV.

De Quietè nocturna.

Factâ mentis discussione sive Exa-
mine vespertino, i. Meditationis
puncta, quæ antè parata esse debent,

ex

ex Libello aliquo spirituali relegenda sunt ac memoriae infigenda, prævidendi etiam affectus & fructus, quos ea meditatione craftina voles colligere.

2. Magna cum modestia, & quiete te ad somnum comparabis, puram ac simplicem intentionem formando, scil. ut ad Dei gloriam vires reficias, quibus deinde ad ejus laudem magis magisq; promovendam uti possis.

3. Ferventer recitabis preces tuas peculiares ad Ss. Trinitatem, Christum, B. V. Angelum custodem ac Patronos anni, mensis aliósq; speciales à te delectos, petendo ut ab omnibus periculis tum corporis tum animae te hac nocte liberent.

4. Inter exuendum de Passione Domini cogita, ac morte, quæ multis ex improviso evenire solet : vel recita Hymnum aliquem convenientem, aut psalmum *miserere mei Deus &c.*

5. Exutus facto S. Crucis signo honeste te in lecto compones memor

F

Christi

Christi Domini, vel è Cruce pendentis, vel in sepulchro depositi aut fermentum tibi repræsenta, in quod aliquando post mortem inferendus es.

6. Excitato breviter actu contritionis, Fidei, Spei & Charitatis, puncta meditationis, jam ante prævisa, animo revolve: donec piis ita cogitationibus intentum placidus somnus te suaviter complectatur.

7. In ipso somno si qua tentatio aut illusio occurrat, simul atque evigilas, ad consueta Christi, B. V. Angeli custodis, aliorumq; SS. præsidia recurre, interruptis vocibus JESUM & Mariam compellando.

8. Quod si certâ aliquâ horâ, v. g. quartâ vel quintâ, surgere aut expurgisci desideras, totidem *Pater* & *Ave* recita, petendo ab Angelo Custode, ut si ad Dei gloriam atque animæ tuæ salutem fuerit, illâ horâ expurgiscaris; sed cave, ne semel excitatus, denuò obdormiscas.

CAPUT

CAPUT II.

De Operibus per singulas Hebdomadas faciendis.

APiis Sodalibus quatuor potissimum in hoc genere usurpari solent. 1. Confessio. 2. Sacra Communio. 3. Concio seu Exhortatio. 4. Recreatio hebdomadaria : de quibus, ut pie & fructuosè fiant, hæc præcepta suscipe & serva.

§. I.

De iis, quæ Confessionem præcedunt.

DA operam, ut ad poenitentiæ Sacramentum (in quo etiam minimæ peccati venialis maculæ elui solent) accedas, non ex frigidâ consuetudine ac dici causâ (quia sic jam more receptum est) sed ex vero pietatis sensu, & desiderio, ex amore videlicet Dei atq; odio peccati, cum vero dolore ac detestatione ejusdem, ferventi defi-

desiderio emendationis atq; augendæ gratiæ, cum vivâ fiduciâ ac profundâ humilitate, & cum proposito satisfa-ciendi.

2. Die ac hōrâ conveniente, & confessioni proximiore, secede in cubicu-lum tuum, aut locum aliūm separa-tum ac quietum, ibiq; conscientiam examina juxta modum in Libello So-dalitatis præscriptum: illa verō dili-gentiūs notabis, in quibus aliquem fentis remorsum, quæque in te pudo-rem generant, nec quicquam ex pu-dore unquam omittendum censeas. Omnia tamen integrè, sed & brevi-ter revela.

3. Contritionem seu dolorem de Deo summē offenso nunquam negli-gas, licet defectus fortasse videatur (exemplo S. Job. c. 14. qui pro levi culpa in favilla ac cinere pœnitenti-am agebat) maximē, si veniale ali-quod advertenter commiseris. Mori-va autem hujus doloris esse possunt, tum, quia omne peccatum (etiam ve-niale)

niale) magnum malum est; Deo displicet, Christo, qui illud sanguine suo expiat, est contrarium, atq; Animæ varia damna adfert, dum illum fœdat, fervorem minuit, vires animæ debilitat, disponit ad graviora, consolationes impedit, ac Dæmoni ipsi placet. Deinde dolebis de tuâ in talem Dominum infidelitate; tandemq; de erratis veniam per merita Christi ac Sanctorum ejus, petens gratiam emendandi, animitus postulabis. Ita tamen, ut, si quod peccatum deliberatè admisiisti, de eo peculiariter doleas.

4. His peractis ad Templum te cum magnâ modestiâ conferes, & in via miseriam tuam humiliter considerabis, quibus cogitationibus occupatus cùm Templum ingressus fueris, humiliter ac reverenter in terram in conspectu Judicis supremi & universæ curiæ prostratus ardenter veniam petes, & Beatae Virginis ac Sanctorum Patronorum preces postulabis.

5. Tum surgens Confessarium adi-
bis.

bis, qui si pluribus audiendis occupatus fuerit, patienter exspectabis, donec illi præcesserint; ac spatiū illud temporis ante Confessionem, aut lectioni piæ alicujus libri spiritualis, aut orationi, aut ulteriori ac diligentiori præparationi (quod optimum esse videtur) ac contritioni majori impen-des.

§. II.

De ipso actu Confessionis.

DAtā tibi opportunitate acceden-di sedem confessionis, genuflecte, inclinato aliquantulum capite, prævio sanctæ Crucis signo facultatem inchoandi confessionem accipies, statim post acceptam benedictionem, generalem ab Ecclesiâ institutam confessionem facies usq; ad illa verba: *Quia peccavi nimis cogitatione, verbo & ope-re.* Tum peccata tua tum interiora, tum exteriora breviter, sed clare, distinctè sине ambagibus, obscuritatibus aut excusationibus, ut ea cognoscis in

in te, efferas : & tandem per sequentia verba : *Mea culpa &c.* Confessionem concludes. Admonitionem aut increpationem Judicis tui humiliter audies, non aliter, ac si Chistum (cujus ipse vices gerit) te monentem ac increpantem audires. Tandem, dum Confessarius absolutionem tibi impertit, Salvatoris tui JESU Christi Sanguinem peccata tua ablui & Animam tuam mundari cogitabis, ac proinde cum magnâ reverentiâ eam suscipias.

§. III.

De Satisfactione pro Peccatis.

Satisfactionem tibi impositam (quâ libenter semper admittas) si commodè valueris, statim exsolves, quantâ poteris, mentis devotione complebis. Cavebis autem, ne monita, consilia & præcepta spiritualis Patris contemnas, aut scrupulos esse judices, cùm illa non utilitatis tantum, sed interdum & sint necessitatis. 2. Pro beneficiis

neficiis in hoc Sacramento tibi collatis cum magno affectu gratias ages.
3. Sedulò curabis per bona opera pro peccatis venialibus ex fragilitate humana commissis satisfacere; pro gravioribus autem de iridustriâ commissis efficaciore pœnitentiæ opere satisfacere conaberis, scilicet adhibito cilio, disciplinâ, prout multis sanctis in usu fuit.

§. IV.

De Sumptione Eucharistie.

SAcramentali Confessione parati purissimæ Virginis Sodales ad sacro-sanctam Eucharistiam sumendam frequenter, alii singulis mensibus, & præcipuis Domini, B. Virginis & Sanctorum Festis, alii octavo quoq; die aut etiam saepius accedunt. Id sanè cum maximo virtutum augmento fiet, si præscribenda diligenti curâ observentur: cum hoc Sacmentum Corporis & Sanguinis Domini nostri IESU Christi sit omnium maximum atque dignissimum.

dignissimum, summâ etiam puritate, devotione, humilitate ac reverentiâ sumendum esset sine ullâ acedia, somnolentiâ, distractione, aut quâlibet aliâ animæ notâ, quæ tanti Sacramenti dignitati contrariari, aut fructum ejus eximium impedire quolibet modo posset: hæc autem quâ ratione obtineri valeant, apertius accipe.

I. Non accedes ad hoc Sacramentum frequentiùs ex nudâ & tepidâ consuetudine, nec ad vanam gloriam consequendam, ut videaris pius, nec propter inanem æmulationem, nec etiam propter sensibilem, quam ex ejus sumptione fortè percepisti, Consolationem (alioquin nullos fructus, sed potius demeritum referes) sed cum hac intentione accedes. 1. Ut Christi Salvatoris tui passionem & mortem in memoriam revokes. 2. Pro beneficiis acceptis gratias referas. 3. Deo magis placeas. 4. Puriùs vivas. 5. In Charitate & aliis Virtutibus crescas.

scas & conforteris. 6. Ut aliis Exemplo bono præluceas.

II. Ut fructuosè communices, duplex tibi est adhibenda dispositio. *Prima* consistit in vitæ puritate, quæ maxima esse debet; conare itaque, ut quotidiè purius & perfectius vivas, & ante hujus perceptionem Sacramenti ab omnibus animam tuam evacuavitis & imperfectionibus, tum per intimum cordis dolorem, tum per sinceram, integrum ac humilem confessionem. *Alteræ* verò præparatio in his consistit. 1. Tribus diebus eum diem, quo communicabis, præcedentibus, sollicitius te in bonis actibus consuetis exercebis, & per orationes sive mentales, sive vocales prolixiores, aut jaculatorias cum magno affectu gratiam dignè communicandi petes. *Feriâ quintâ* incipies te disponere per ferventes Orationes; *Feriâ sextâ* Mentis oculos in Christum flagellatum, spinis coronatum & Crucifixum defiges, & passionem ejus recolles;

les; *Sabbatho* profana consortia & otiosa verba declinabis. 2. Ipso die Communionis diligentius surgas è lecto, ferventius actus divini cultus exercebis, & tempus Meditationis in his, quæ te ad amorem, timorem, Reverentiam incendant, insumes; quidquid cogitaveris, quidquid locutus fueris, hac intentione perficies, ut te magis aptum ad Christum recipiendum reddas: cavebis autem, ne ante Communionem otio nonnihil indulgeas, aut alienis & non necessariis cogitationibus vaces. 3. Ad templum dum vadis, magnum in te desiderium percipiendi fructum Sacramenti hujus, excitabis, & sanctos Patronos tuos sedulò invocabis, ut te ad Convivium magni Regis deducant, & gratiam dignè ac fructuose Sacramentum sumendi impetrent. 4. Missam eō devotius audies, quò nobilius donum accipies, & quod in aliis Missis solitus es, nunc sollicitius exequēris, Dominūmq; rogabis, ut te participatione sui

sui Sanctissimi Corporis dignum efficiat : Illud autem pro certo habeto, quod magis per varios virtutum affectus paratus accesseris , tantò magis suavem ac liberalem experieris Dominum. 5. Antequam ergò accedis ad hoc Sacramentum, cogita, quem sis in domum tuam suscepturnus, scilicet Christum Regem tuum , Dominum , Magistrum , Amicum , Fratrem , Patrem ac Sponsum tuum. Deinde cogita, quis tu sis, ad quem ille veniat; scilicet venit ad servum multo ære obstrictum ; ad te mancipium, discipulum rudem ; ad te, qui ejus amicitiam sèpè contempfisti, peccatis tuis quasi occidisti ; ad te filium prodigum ac sponsam fœdifragam : tandem cogita, ad quid veniat? non ut te perdat, ac pro meritis puniat, sed ut ditet, liberet, doceat, per amorem sibi uniat, conservet, gratiæ suæ donis exornet, & ad intimam familiaritatem admittat.

§. V.

§. V.

De ipsâ Communione.

Cùm jam ad ipsam sacram Communionem accedis , puta tibi dici :
Ecce Sponsus venit , exite obviām ei ;
& ut illum excipias , quasi à temetipso
egredere , ac te & omnia Visibilia re-
linque , & vivâ fide Christum in Eu-
charistia aspiciens dicio illi : *Et unde*
mihi hoc , ut veniat Dominus meus
ad me ? & alios similes Spei , Char-
tatis , Humilitatis , Reverentiae , alia-
rūmque Virtutum affectus elicies ,
prout Spiritus sanctus tibi suggererit .
Si talibus affectibus cum hac attentio-
ne & devotione ad Christum accesseris , mirum in modum ex ejus percep-
tione in omni virtute proficies :
quod si autem careas aliquando sensi-
bili devotione , & mentis ariditatem
experiaris , non propterea turbēris aut
tristēris ; sed divinæ voluntati te con-
forma , & resigna te ad talem desola-
tionem

tionem patienter ferendam; fructus enim hujus Sacramenti non est tantum devotio sensibilis, sed devotio essentialis, & promptitudo ad omnia bona, & morum emendatio, sensibili consolatione multò sublimior; hāc autem dignè accedens nullo modo carabis.

§. VI.

Post Communionem.

1. **M**Ediam horam, aut etiam longius temporis spatium gratiarum actioni ac sanctis affectibus tribues, postquam Christum intra hospitolum cordis tui susceperis, eum reverenter adora & saluta: posteā de hospitii tui vilitate, nuditate ac paupertate confundēris, ac veniam petes: tum pro beneficio accepto gratias ages. Beatam Virginem, sanctos Angelos & Patronos ad laudes Deo dicendas, & agendas gratias invitabis; datorem ac donum laudabis, teipsum ac

ac tua omnia in ejus obsequium offeres, Miserias ac necessitates tuas pandes, virtutes exoptabis, ad earum adoptionem auxilium implorabis, & multifariis amoris affectibus te exercebis. Hæc autem septem præcipue postulabis.

1. Auxilium efficax ad servandum præceptum Charitatis,
2. Ut, quidquid Deus diligit, diligas.
3. Ut, quidquid odit, odio habeas.
4. Ut omnibus virtutibus induaris.
5. Ut Corpus & mentem sui dignum habitaculum efficiat.
6. Ut post hanc vitam ipsum Dominum ac Beatam Virginem videas.
7. Ut in omnibus Templis, Ecclesiis & Tabernaculis Sacris à cunctis Sacerdotibus & fidelibus debitum honorem accipiat.

2. Eodem die susceptæ Eucharistiæ purius solito & sollicitius vives solis divinis laudibus ac studiis vacans, sermonationes de rebus non necessariis & remissiones, etiam licitas declinabis, vel in aliud diem differes.

§. VII.

§. VII.

De Exhortationibus audiendis.

Qui ex Deo est, Verba Dei audit,
dicit Christus *Ioan. 8. 47.* tu
igitur, si de Grege Christi & numero
Filiorum Dei esse cupis, Verbum Dei
in sacris Exhortationibus, & publicis
concionibus hoc sequenti modo audi-
re non detrectes. 1. Ad templum aut
Exhortationis locum tempore conve-
nienti cum magno desiderio profici-
endi accedes; non verò ex tepidâ
consuetudine, nec ex curiositate nova
audiendi, neq; eleganti atq; eloquen-
ti concionantis dicendi modo incita-
tus, sed ex puro Dei amore & salutis
tuæ cupiditate incitatus. 2. Ante Ex-
hortationem ferventer Deum orabis,
ut per os loquentis & exterius docen-
tis ipse te ac alios interius doceat, se-
mini sancto Verbi divini incrementum
præstet. 3. Verba dicentis humiliter
quasi Christi Verba excipies, non ut
Censor

Censor de dicendi modo aut dictis ferendo judicia , nec ut Contemptor , quasi dicta ad te non pertinerent . Nec si communia aut eadem s̄æpiùs repetita cum fastidio audies , sed quæ jam crebrâ scis auditione , cogita tibi dicta & repetita tanquam servo pigro , ut ea impleas ; quia multa scire non sufficit . 4. Audies etiam attentè , ut retineas , non corporis aut animi sensibus ad aliena divagando ; vel maximè autem fabulas , inania & non necessaria colloquia vitabis . 5. Exhortatione finita petes primò gratiam , ut possis audita executioni mandare . Deinde eadem per brevem meditationem ruminabis , & quæ ad te spectaverint , diligenter implere propones . Demum sedulò omnem occasionem quæreres , & arripies re ipsâ atque actione exequendi , non enim Auditores legis justi sunt apud Deum , sed *Factores legis justificabuntur* , dicit Aooftolus . Rom . 2. 13. Et beati , inquit Christus , qui audiunt Verbum Dei , & custodiunt illud .

G

§. VIII.

§. VIII.

De Recreationis Die.

SIngulis Septimanis Adolescentibus, qui literis dant operam, honesta aliqua conceditur recreatio, quæ etiam ad Animum, studiis & multis occupationibus fessum, relaxandum est necessaria; adeoq; à Viris etiam Sanctissimis, & in tenendâ disciplinâ rigidissimis fuit admissa; Hujus autem modum, ut recte & secundum Virtutem fiat, nunc oportet explicare. 1. Tu ergo Sodalis Beatae Virginis! ne nimis frequenter solatia & recreaciones admittas, nec alias proprio motu suscipias, præter eas, quæ à Magistris aut Studiorum Præfecto conceduntur, nec præter eas communes, alias importunis postulationibus, vano nimiorum laborum aut valetudinis prætextu extorquere coneris. 2. Acceptâ recreandi copiâ, aliis in agrum vel in alium locum seriis occupationibus

nibus positis , relaxandi animi causâ
fese conferentibus , tu ne per singu-
laritatem intra domesticos parietes li-
bris aut scriptio[n]i adhæreas : sed ut
vires ad labores resumas , cum aliis
egrediaris , & , quam reliqui animi re-
laxationem accipiunt , securè captato ,
& licet tu recreatione te indigere
non agnosceres , tamen aliorum co-
mes factus , animum eis ad recreati-
onem parabis.

Recreatio autem honesta quæri so-
let , vel in deambulatione , vel in col-
locutione , vel ludo , de quibus hæc
accipe.

De Ambulatione. In deambulatio-
ne , quâ membra utiliter exercentur ,
humores attenuantur , & noxia cor-
poris absumuntur , in horto aut agro
factâ , si solus in ambulas , curabis , ne
cogitatio tua per inepta vagetur , ne
mens in varia & inutilia distrahitur .
Cogitabis igitur , si solus sis , aut si
cum aliis verferis , loquêris de piis aut
saltē honestis , de illis , quæ oculis

subjiciuntur, & ex illis fructum spiritualem decerpes, considerando v. g. flores aut arbores, admirando Dei Omnipotentiam, Sapientiam, Bonitatem, Providentiam. Item quod nullus hominum vel unicum minimum vel vilissimum florem valeat efformare. Item quod hominis vita sit instar floris labilis, & in similibus aliis considerationibus, quae pium genererant affectum, te exercebis. Sic & corpus reficiens & spiritu praefectus evades.

De Collocutione. In hac sunt proferenda, quae pios & honestos decent, non inutilia & vana, nec detractoria, scurrilia aut stultiloquia, & ad ineptum risum provocantia; neq; etiam nimis seria, sed vel de piis, aut indifferentibus, ad studia vel humanos eventus pertinentia, sintq; talia, quae statui & proposito nostro bono sint accommodata; nam dici possunt aliqua jucunda & faceta, quae etiam in ore pietatem amantis bene sonant, & audientes ædificant.

De

De Ludo. Ludi aliqui licet pios & honestos adolescentes & viros dede-
ceant, quales sunt spectacula & Cho-
reæ, Cantica minùs munda & inania,
ludus aleæ & chartarum ; alii tamen
ludi ad corporis exercitationem in-
stituti , qui nihil immodestiaæ habent,
omnibus permitti possunt , ut à ver-
bis otiosis avocentur , & ne ex nimiâ
quiete , quam studia literarum secum
afferunt , ægritudines contrahant ; in
his autem hæc sequentia non sunt
oblivioni tradenda . 1. Ludus sit lu-
dus , id est , res parvi momenti , quâm
sinè adhæsione ut rem flocci penden-
dam assumes . 2. Aliis volentibus lu-
dere , libenter locum dabis : cùm sinè
offensâ , cuiuspiam admitteris , intra-
bis ; & non importunè , & quasi ad
ludendum natus , ludis insistes . 3. Mo-
tus sit temperatus & modestus , non
levis . 4. Non vociferaberis , non con-
tendes , sed facilè sententiæ aliorum
acquiesces . 5. Si vincas , non immo-
deratè lâtaberis , nec , si vincaris , tri-
G 3 staberis .

staberis, nec viatos irridebis; tantum
recreari cupies. 6. Non longum, sed
modicum tempus ludendo insumes.
Post recreationem in aliquam secre-
tiorem partem secedas, & tantillum
Domini colloquio fruaris, petendo
veniam de defectibus admissis, & gra-
tiam pro sequenti opere.



CAPUT III.

*De operibus Christianis faci-
endis per singulos Menses.*

§. I.

*De Patrono singulis mensibus
eligendo.*

Cum justi omnes ad quærendam
æternam bonorum hæreditatem
incidentur, iisque cura itineris facien-
di, quo in coelum pergant, incumbat;
ideo ipsis sicut Tobiæ juniori viæ co-
mes

mes fidelissimus est necessarius, qui semper protectione suâ eorum lateri assistat, qui discrimina occurrentia prævertat, modum agendi in toto peregrinationis cursu doceat, qui salvum & incolumem clientulum in locum suum deferat; quapropter non minus piè, quam prudenter Congregationis Marianæ Alumnis de eligendo, colendo, invocando in singulos Menses Patrono Regula est constituta. Quisquis igitur es Sodalium, si viam Patriæ cœlestis feliciter cupias ambulare, ad aliquem Sanctorum convertere, comitem ad iter vitæ spiritualis prosequendum elige, aut potius forte quâdam obvenientem, quasi cœlitus datum, sequenti modo accipe, cole atque invoca.

1. Circa initium mensis, eo die, quo sancti inter Sodales distribuendi sunt, à Domino humiliter postulabis, ut sanctus ille forte tibi obtingat, per cuius intercessionem & vitæ sanctæ exemplum vult tuum profectum augeri, & suas tibi miseratio-

nes elargiri; & dabit tibi (crede) Deus paedagogum sapientissimum, & adjutorem fortissimum, cuius ope de omnibus docearis, & à tuis hostibus protegaris. 2. Sanctum tibi oblatum, quisquis ille fuerit, sine delectu, devotè, reverenter, & cum debitâ gratiarum actione suscipies, & non aliter, quam si Dominus ipse tibi eum Patronum assignasset. 3. Cum primùm per tempus licuerit, te in Ecclesiam, aut alium locum quietum recipies, ibique sancto illi Patrone præsentem te facies, tuas illi necessitates expones, & illi te devotè, ferventer & instanter commendabis. 4. Quotidiè semel vel bis Advocatum tuum exorabis, ut suâ protectione tibi semper assistat: duo autem præcipue sunt petenda. *Primo*, ut ad meditationem rerum cœlestium lucem impetret; *deinde*, ut desideria & preces nostras Domino, cui semper adstat, repræsentet, nec hæc sola, verum etiam cætera animæ & corpori necessaria obtinere curabis. 5. Præter

ter hæc alia præstabis in ejus honorem obsequia ; nam per diem aliqua mortificationis opera suscipienda, dies festus ejus aut jejunio , aut peculiari abstinentiâ præveniendus, & Confessionis ac Communionis susceptione, si id fieri possit, sin minus, horum desiderio , & singulari puritate celebrandus : nec pro nobis solum, sed etiam pro Ecclesiæ necessitatibus invocandus ; vita ejus legenda & investiganda est, & aliquid in memoria condendum, quod ad illius imitationem trahat : & persuasum habeas, præcipuum esse Patroni obsequium, si illum vitâ & conversatione imiteris.

§. II.

De emendandis per singulos Menses Conversationis nostræ defectibus.

UTilissimum etiam est ad Virtutes augendas, si singulis mensibus diem unum deligas, quo ab externis
G5 occu-

occupationibus liber tibi vaces, & mores atque actus tuos solerter inspi-
cias. Hoc die imprimis devotius,
prolixius, attentiūs & quietius orabis,
plus quoq; temporis librorum spiri-
tualium lectioni tribues; præcipue
tamen in hoc incumbes, ut sis cen-
sor tuū ipsius, & severus judex actu-
um tuorum: Vide igitur, quæ supra-
te sunt; an purè & ferventer Deum
colas, Sanctos venereris, & cœlestia
suspires? Vide, quæ infra te sunt;
an corpus domes, sensus comprimas,
affectusq; cohibeas? Vide, quæ cir-
ca te sunt; an superflua refeces, ne-
cessaria moderatè accipias, & proxi-
mis exemplo præluceas? Vide tan-
dem, quæ intra te sunt; an sancta
purius cogites, Virtutes augeas, &
tranquilliūs vivas. Hac ratione im-
perfecta in te emendabuntur, perfe-
cta excolentur, magisq; ad virtutem
incitaberis: Quod siquid hic dubio-
rum aut difficultatis ortum fuerit, ad
Confessarium deferas, eiq; omnia sin-
cerè

cerè aperias, ejusq; consilio ac monitis obtemperes. Hoc menstruum assumere exercitium studiosis Adolescentibus non erit difficile; poterunt enim in fine mensis diem unum, quo ad scholas non eunt, ad proprium ordinare profectum; Domini autem & Magnates gravibus distincti occupationibus, judicent ipsi, an non æquum sit, unum saltem mensis diem Deo & Saluti suæ consecrare, postquam mensem totum negotiis publicis, & mundo impenderunt.



CAPUT IV.

De Operibus Christianis faciendis per singulos annos.

§. I.

De Patrono anni totius.

SIcut in ipso initio cuiuslibet mensis sanctum aliquem ex cœlestibus Patrono

Patronum accipimus, cuius ope eo
mense Spiritu crescamus; ita & pri-
mâ die cuiuslibet anni Sanctum al-
quem ex præcipuis, ut in adeptione
virtutis & perfectionis nobis faveat,
forte eligere in publico Sodalium cœ-
tu consuevimus, in cuius electione &
cultu supradictus Patronum Mensis
eligendi & colendi modus est servan-
dus; præter ea autem diem festum
Patroni tui jejunio & aliis pro tuo in-
eum affectu bonis operibus præve-
nies, eodemq; die, qui Sancto illi sa-
cer est, in gratiarum actionem San-
ctitatis & Gloriæ ejus Domino, si Sa-
cerdos es, Missæ Sacrificium offeres;
sin minus, devotè communicabis, ac
tandem horam aliquam illius diei
præripies, in quâ toto corde Patro-
num invoces hoc vel simili modo.
1. Honore Sanctum tuum afficies,
honorifice & magnifice eum salutan-
do Servum Dei fidelissimum, Amicum
dilectissimum, Filium cœlestis Patris
charissimum. 2. Laudabis eum à re-
bus

bus externis, quas propter Dei amorem contempsit : à viribus corporis, quas in virtutis operibus collocavit, atq; ab Animæ puritate, quam per cognitionem & amorem Dei tabernaculum fecit. 3. Congratulaberis ei de tantâ gratiâ, de tam perfectis virtutibus ac donis, de inæstimabili gloriâ adeptâ. 4. Gratias ages ei, quod tam sancta vitæ exempla Fidelibus reliquerit, eisq; precibus suis in cœlis positus subvenerit. 5. Desiderabis & statues eum imitari in vitiis extirpandis, virtutibus colendis, & adversitatibus patienter & constanter ad finem usq; vitæ perferendis. 6. Tandem petes ab eo, ut suâ intercessione te à malis eripiat, & omni virtute promoveat, in morte succurrat, & post mortem cœlestis civitatis januam aperiat. Laudabili hoc, delectabili atque utilissimo Patronum tuum invocandi & colendi modo uti poteris etiam in singulorum quoq; mensium & aliis quibuscunq; Patronis invocandis, ad
quod

quod faciendum te incitent Verba
Sancti Leonis Papæ serm. 5. de Epi-
phania : *Confirmate amicitias, ho-
rum divitias concupiscite, & per bo-
nam emulationem eorum, ambite
Suffragia; cum quibus enim vobis
fuerit consortium devotionis, & erit
communio dignitatis.*

§. II.

De Vocatione seu Nativitate spirituali.

Sicut olim Ethnici natalem diem magnâ lætitiâ conviviisque exquisitis celebrabant ; itâ nunc multi Christiani, non tantum Religiosi, sed & Ecclesiastici & sœculares habent unum diem anniversarium, in quo singulare aliquod beneficium à Deo perceperunt , quémque extraordinario quodam pietatis cultu honorare consueverunt, qualis esse solet dies Baptismi (quem sanctus Ludovicus omnibus victoriis præferebat) dies Professionis

Uoup

fessionis in Religioso, dies Ordinatio-
nis in Ecclesiastico (sicut in sermoni-
bus sancti Leonis videre est) dies initi
Matrimonii in sæculari , dies , quo à
malâ vitâ perfectè ad Deum conver-
sus est , sicut sanctum fecisse scimus .
Modus verò talem diem celebrandi
hic esse potest . 1. In vigilia illius diei
te jejunio aut abstinentiâ aliquâ , aut
corporis maceratione , humilitatis ac
mortificationis operibus dispones . 2.
Ipso die , cùm primum surrexeris , tem-
pus Meditationis in consideratione be-
neficii accepti , & in ferventissimâ
gratiarum actione , atque in laudibus
divinis insumes dicendo : *Laudabo*
nomen tuum assiduè , & collaudabo il-
lad in confessione , & exaudita est
Oratio mea , & liberasti me de perdi-
tione , & eripuisti me de tempore ini-
quo ; propterea confitebor , & laudem
dicam tibi , & benedicam nomini Do-
mini . 3. Confessione præmissâ , quâ
tuam ingratitudinem accusabis , ad
gratias agendas Missam celebrabis , si
sis

sis Sacerdos , sin minus , sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum accipies , ac cœlesti Patri (cum aliud nihil habeas) Filium suum unigenitum in compensationem offeres , per quem , cum sit infiniti pretii , nova beneficia postulabis . 4. Cum sis insufficiens ad reddendas pro beneficio debitas gratias , Orabis Beatam Virginem , Patronos tuos , omnesque sanctos , Sodales quoque tuos & amicos , ut pro te Deum laudent , & se tibi ingratitudine comites præbeant . 5. Eodem die ea verba cum Sodalibus tuis atque amicis , quibuscum conversaris , quæ gratitudinem sonent , miscebis .

§. III.

De Vitæ spiritualis actibus innovandis.

Cum naturale nobis hominibus sit , per peccatum corruptis , à fervore vitæ paulatim remittere ad tepiditatem atque segnitiem ; hinc utilissimum

lissimum est , planèque necessarium ,
ut aliquoties nos somnolentos excite-
mus , & jacentes erigamus per pro-
positorum & bonorum operum reno-
vationem , cui certè viri justi & spi-
rituales salutis cupidi non segnem
dant operam . Horum tu , salutem
utique tuam desiderans , vestigiis in-
sistens , desideria tua , proposita , & si
quibus obligatus es , vota renovabis ;
ad devotionis augmentum , ad exci-
tandam , quâ Deo obstrictus es , oblî-
gationem , atque ad majorem in tuâ
Vocatione Confirmationem : fiet au-
tem hæc renovatio bis in anno circa
præcipua festa , quando tres dies eli-
ges , quos huic renovationi impen-
des ; quibus quidem ordinariis occu-
pationibus non omnino te subtrahes ,
sed tamen eas sic moderaberis , ut ha-
beas tempus prolixioris & crebrioris
meditationis , lectionis spiritualis &
piarum exercitationum ; à colloquiis
autem inutilibus penitus abstinebis .
His tantis diebus quædam erunt exer-
citia .

citia communia scilicet corporis castigationis; aliqua extraordinaria ex consensu Magistri tui spiritualis assumpta, ut per eam ad Dei beneficia suscipienda præpareris. 2. Opera humilitatis & tui ipsius contemptus. 3. Spiritualium librorum, Regularum Sodalitatis Lectio, in qua tanquam speculo tuas fæditates videas, & ad munditatem atq; emendationem exciteris.

§. IV.

De admittenda humiliter defectuum correctione.

NON est homo, qui non peccet; cùm enim defectibus maximè obnoxia sit cæca juventus, hinc inscholis, quæ optimâ disciplinâ gubernantur, delicta ad animarum salutem corriguntur, cuius correctionis debitum sustinendi modum cum paucis scient & exequantur, ideo de hac pauca pro studiosa juventute (quæ tamen quivis subditus sibi accommodare potest)

poteſt) neceſſariò ſunt dicenda. Re-
jicimus autem eam huc in exercitia
Anni quod optemus omnes raro ad-
modum defectibus fordinari.

Primò igitur optimè ſis contentus
& patienter feras, ut tui defectus,
ſive leves ſive graves fuerint, ad re-
medium pro iis accipiendo Magi-
ſtris tuis aut Superioribus quibuscum-
que detegantur ab aliis, qui eos cer-
tò cognoverunt, neq; de eo finistri
quid judicabis, ſed amore fraterno
atq; compassionē tui ad tibi ſuccur-
rendum iſum te detuliffe cogitabis.

Secundò ſi ſapis ex corde gaude-
bis, quòd tibi defectus aperiantur;
magnam enim ex eo utilitatem per-
cipies, cresces enim hac ratione mul-
tùm in humilitate, vitiis efficaciùs te-
exues, & virtutes attentiùs à Patre
tuo, Magistro aut spirituali Medico
ex amore tuis vulneribus remedium
adhibente correctus ſectaberis. *Nec*
dicas: Ego absq; eo, quòd Magister
meus aut alius Superior meus ſciat,
emen-


emendabo me ipsum. Crede mihi
non te emendabis aut non ita benè,
nec radicitus tuas culpas evelles.
Plurimos etiam perditos scies, quia
latebras dilexerunt, & post vulnus
acceptum à Medico declinarunt.

*Tertio Correctionem ob defectus
& culpas tuas humiliter patienter, ta-
cito & læto animo admittes, sic mul-
tos ex ea capies fructus; Qui enim,
ait sapiens, diligit disciplinam, dili-
git sapientiam, qui autem odit in-
crepationes, insipiens est. Prov. 12.
& qui custodit increpationes, astutior
fit; hinc nequaquam obloquēris aut
murmurabis correctus, Vir enim pru-
dens & disciplinatus non murmur-
abit correctus. Eccl. 10. si verò te cor-
rigi non sinas, pessimos fructus feres
complectens peccata nunc minora,
post majora, post maxima, donec in
æternam mortem præcipiteris. Hinc
illud Prov. 29. Viro, qui correptionem
dura cervice contemnit repentinus ei
superveniet interitus, & cum sanitas
non sequetur.*

Quarto

Quarto pro eo , qui te Superiori tuo detexit , & pro ipso correctore orabis , nec ipsos judicabis , nec de ipsis querimonias proferes , nec pro bono charitatis opere malum quodcunq; referre statues.

Quintò Pœnitentiam injunctam patienter , fideliter , integrè ac lætanter implebis , & tandem per eam ad peccati emendationem pervenire satages , ut impleatur in te illud Salomonis , Prov. 17. Plus proficit una correptio apud sapientem , quam centum plague apud stultum .



CAPUT V.

De Operibus semper faciendis.

Quinq; præcipue occurunt , circa quæ varios virtutis actus quilibet probus Sodalis exercere quotidie potest , de quibus proinde nonnulla

nulla hic adjicere operæ pretium visum est, sunt autem hæc *primo* Deus, *secundo* Superiores, *tertiò* Sodalitas, *quartò* Sodales ac Socii, *quintò* tu ipse, de quibus singulis hac præcepta succinctè comprehensa suscipias, atq; exercere contendas.

§. I.

Quinam actus virtutum Sodali semper exercendi erga Deum?

ERga Deum has septem Virtutes singulariter conaberis exercere :

Prima est cogitatio præsentis Dei, qui cum immensus sit, atq; infinitus, ubiq; etiam præsens est, hac ergo cogitatione te ab omni malo (quantum humana fragilitas patietur) avertas, atq; ad omne bonum accendas.

Secunda *Charitas erga Patrem cœlestem*, qui te creavit, *erga Filium*, qui te redemit, *erga Spiritum Sanctum*, qui te sanctificavit, ut hac Charitate accensus eum diligas super omnia.

Tertia

Tertia *Timor Dei*, quo Deum offendere times adeo, ut malle debeas omnia, quæ in mundo sunt (si illa tua forent) amittere imo & ipsum etiam infernum subire, quam Deum vel uno peccato scienter ac volenter perpetrato offendere : si enim in inferno essemus à peccatis liber, ignis ille infernalis (qui peccatores tantum ut instrumentum Dei torquet) tibi nihil omnino nocere valeret.

Quarta virtus est *Zelus honoris divini*, quo accensi dolent, quotiescunque Deo aut rebus divinis contumeliam aut injuriam irrogari vident, vel audiunt adeò, ut hoc dolore commoti interius in animo quasi consumantur, quando advertunt tot hæreses, juramenta, blasphemias, impunitates injusticias, ebrietates &c. ut cum Christo Joannis 2. dicere possint. *Zelus Domus tue* (Ecclesiæ aut animæ fidelis, in qua Deus per gratiam habitat) comedit me.

Quinta virtus *Laus seu laudatio Dei,*

Dei, enarratio scilicet ac prædicatio Majestatis ejus, ac divinarum perfectionum, quæ exerceri potest recitando Canticum Ss. Ambrosii & Augusti. *Te Deum Laudamus* vel *Benedictus*, aut etiam psalmos quosdam ex officio B. Virg. v. c. ps. 8. *Domine Dominus noster*. ps. 148. *Laudate Dominum de cœlis* 6.

Sexta virtus est gratiarum actio, pro præcipuis beneficiis à divina ejus majestate perceptis, qualia in forma examinis conscientiæ quindecim numerantur.

Septima virtus est Resignatio in Voluntatem Dei, ut velis quod Deus vult, & etiam ob eandem causam, ob quam Deus vult, quæ resignatio etiam conformitas appellari solet, per quam homo in omnibus ad Dei voluntatem sese accommodat, dicendo cum Christo Matth. 26. *Fiat voluntas tua.*

§. II.

§. II.

Quinam erga Superiores?

ERga superiores, quales sunt Confessarii Prælati Regentes, Parentes, Professores, Pædagogi &c. Septem etiam virtutes à Sodalibus adhiberi debent, quarum

Prima est Amor, quo Superiores tuos prosequi teneris, quia pro te pervagilant, plusq; tibi tribuunt (scilicet *bene esse*) quam patres naturales, qui dant tantum *esse simpliciter*, ut Ethnici agnoverunt.

Secunda Virtus est Reverentia, quia Superior loco Dei (qui à nobis visibiliter videri atq; audiri non potest) nobis præest tanquam ejus Vicarius, dicente Domino Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.*

Tertia est Obedientia, quâ Superioris nostri jussis ac mandatis paremus non secus, ac si illa à Christo Domino ac Patre cœlesti proficisce-

H

rentur

rentur timendo illam S. Prophetæ Samuelis Sententiam, Reg. 15. *Quasi peccatum violandi est repugnare & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.*

Quarta Virtus est Oratio ad Deum pro illis fusa, qua illis à Deo lumen impetres, quo te regant, eaq; omnia, quæ tibi ad profectum in virtute aut litteris faciendum juvant, tibi proponant, hōcq; mandabat Apost. 1. Tim. 2. Ut fierent obsecrations, pro Superioribus, ut quietam & tranquillam vitam agamus in pietate & castitate.

Quinta Virtus est Patientia disciplinæ, ut, si superior, præceptor, aut parens rigidus disciplinæ, studii, atq; exercitiorum exactor videatur, cogites primò hoc fieri tuo vitio, eò quod tu in ejus præceptis exhaustus tardior aut languidior sis. Secundò considera hæc omnia in bonum tuum fieri, quia doctrina, quam acquiris, tua erit, non præceptoris. Tertiò hoc agit præceptor Dei timore atq;

atq; amore ductus , quoniam veretur,
ne, si tibi, quæ optas , concesserit , tu
dissolutior evadas , ipséq; hujus disso-
lutionis Deo poenas luat ; aut certè
sperat , te ex hac rigidiori disciplinâ
in eum virum evasurum , qui multa
ad Gloriam Dei , atq; Ecclesiæ , ac
Reip. utilitatem , simûlq; ad tuam ac
plurimorum salutem possit perficere.

*Sexta Virtus est dissimulatio de-
fectuum*, si quis fortasse in parentibus
aut aliis superioribus te advertere
contigerit, ut cogites, tuum non esse
aliena (& maximè Superiorum) erra-
ta observare , ac dijudicare , sed po-
tiùs tua, ne tibi objiciatur illud Ho-
ratianum :

*Cum tua pervideaas oculis male
lippus inunctis,*

*Cur in amicorum vitijs tam cernis
acutum*

*Quam aut aquila aut serpens Epi-
daurius,*

Nempe quia serpens infernalis tibi
oculos curiositatis, aut temerarii ju-
dicii,

dicīi , detractionis &c. aperuit. Non itā fecerunt filii Noë Gen. 9. qui ne Patrēm nudum viderent, versis vestigiis incesserunt; unde & benedictio nem meruerunt : sicut Cham ē contrario, qui Patrem deriserat, meritus est pro se ac posteris maledictionem; hæc tua perverfa judicia ex alienatione proveniunt. Ex adverso, si perfectè amari occipias, omnia quæ fererint, comprobabis.

Septima Virtus est Interpretatio dubiorum in partem optimam, cum enim Cor hominis, ut ait Jeremias, sit inscrutabile, audacia non ferenda est, ut vilis terræ vermiculus de rebus abditissimis, quas Deus sibi reservare voluit, dijudicare attentet, de fine actionum occultissimo sententiam proferre.

§. III.

Quid præstandum erga ipsam Sodalitatem?

Tertia res, quæ commodata esse debet,

debet, est ipsa *Sodalitas*, erga quam septem affectus etiam indues, quorum

Primus erit affectus talis, qualem filius optimus erga Matrem suam dilectissimam gerit; quod tibi per facile erit, si aliquas excellentes Matris tuæ (*Sodalitatis*) dotes consideres, quales inter alias sunt *primò*, quod à summo totius Ecclesiæ Capite instituta, confirmatāq; sæpius fuerit. *Secundò* quod tantis à sede Apostolica gratiarum si-
ve indulgentiarum thesauris ditata fuerit. *Tertiò* quod regulis tam sapienter conscriptis, atq; ab eodem Pon-
tifice approbatis munita. *Quartò* quod in illa jam toto ferè Terrarum orbe dispersa tam multa bona opera fiant, quorum tu omnium sis parti-
ceps, si in ea perfecti tanquam vivam ejus membrum vitam transfigere Sa-
tagas.

Secundus affectus est desiderium o-
mnes *Sodalitatis Regulas* perfectè ob-
servandi: quod non difficulter in te

H 3

exci-

excitabis, si perpendas eas à viris sapientibus conscriptas, atque ab ipso summo Pontifice (ut paulo antè dixi) comprobatas, tam multos in omni scientiarum genere versatis ad magnā adeò perfectionem deduxisse, pro ut S. Joannes Bonifacius in Hist. Virginali, & Alii in Sodali Parthenio prodiderunt.

Tertius affectus est cura promovendi bonum nomen Sodalitatis, quod ex primo (Sodalitatis scilicet amore) dimanat, quoniam vix fieri potest, ut rem aliquam aut personam impensè ames, pro quâ ornandâ ac promovendâ non sis sollicitus.

Quartus affectus est facilis tolerantia disciplinae, quæ ex secundo nempe regularum amore procedit.

Quintus est studium in exequendis Sodalitatis functionibus (ut sunt regularum observatio, Recitatio Rosarii aut Officii, visitatio Congregationum) quæ omnia cum ad perfectionem referantur, necesse est, ut illa eodem

dem prorsus affectu, quo perfectio-
nem ipsam complectamur.

Sextus *Fervor in bono exemplo* aliis
dando, ut scilicet commune illud, o-
mnibus Christianis datum à Christo
præceptum Matth. 5. *Vos estis Lux
mundi, vos estis Sal terra*, tibi atque
omnibus Sodalibus singulari modo di-
ctum existimes.

*Septimus affectus est cura promo-
vendi res Temporales ipsius Sodalita-
tis*, quamvis enim spiritualia bona sint,
quæ in Sodalitates quæri debeant, ta-
men etiam benè regula 13. monet, ra-
tionem habendam sumptuum, qui in
cœtibus publicis fieri solent, pro ut ad
Ecclesiæ decus & ornamentum fece-
runt, piissimi Reges alii, sed extra or-
dinem Constantinus Magnus in Italia
atque Oriente, B. Carolus item re &
nomine Magnus in tota ferè Germania
præstiterunt.

§. IV.

Quid erga Consodales.

Erga Sodales reliquos tanquam venros Mariæ Matris (beatam Virginem dico) filios atque ejusdem corporis (Sodalitatis) membra totidem etiam affectus demonstrabis.

Primus, ut Deum in Sodalibus agnoscas, non tantum quasi in imagine, quam repræsentant (quia hoc omnibus commune est) sed etiam veluti in Templo, in quo Deus (ut ait *Apost. 2. Cor. 3. & 6.* inhabitat) atque inambulat.

Secundus, ut eos diligas tanquam fratres & ejusdem corporis membra.

Tertius, ut magna cum effabilitate eos alloquaris.

Quartus, ut eosdem pro suo quemque statu honores tanquam hac prærogativâ à Christo dignatos, ut ejusdem Matris B. Virginis filii nuncupentur.

Quintus

Quintus, defectus, si quos in iis adverteris, patienter feras.

Sextus, ut opem in quibuscunque rebus potueris, illis libenter feras.

Septimus, ut in convictu communi ad eos præcipue te adjungas, ex quorum usu ac familiaritate majorem tibi ad spiritualem profectum accessionem obventuram putas, quoniam amor ad omnes sese debet extendere, familiaritas non item.

§. V.

Quid erga te ipsum?

ERga te ipsum denique (ad quem spectant omnia, quæ hactenus dicta aut scripta sunt) septem etiam extra ordinem affectus exercebis, quorum

Primus est *amor secreti*, ut scilicet, quantum in te est cum Isaia Prophetæ dicas c. 24. *Secretum meum mihi*, secretum meum mihi, ut quamvis opera bona ex communi regula ac

H 5

Christi

Christi præcepto (Matt. 5. *luceat Lux vestra coram hominibus*) facere debetas tamen secundum D. Gregorium Hom. 12. in *Evang.* conandum est, ut opus sit in publico, intentio in secreto!

Secundus Affectus est *Cura modestiae*, quæ Sodales comprimis decet, & qualem in B. Virgine collaudat S. Ambrosius Lib. 2. de *Virg.*

Tertius est *contemptus sui*. ut cum eadem Virgine Luc. 1. *Ecce Ancilla Domini*, infimum te profitearis.

Quartus est *generalis sui abnegatio* tam internâ (in omnibus animæ potentiis, desideriis, affectibus) quam externa, in sensuum omnium mortificatione, atq; amore inordinato adres externas (ut opes propinquos &c.) affectu.

Quintus est *Castigatio corporis*, ut illud cum D. Paulo 1. Cor. 9. in *servitutem redigas.*

Sextus *tranquillitas cordis*. ex pace interna, atq; affectuum omnium subjectione, orta; ut Deus, qui dicit Prov.

Prov. 4. *Fili præbe mihi Cor tuum,*
in illo tanquam in throno resideat,
quia in pace factus est locus ejus.

Septimus & postremus sit *discre-tio* omnium virtutum Mater, sine quâ ipsum bonum non est, sed quoniam hæc discretionis virtus in junioribus vix locum habet, sequendum illis erit (loco discretionis) ipsum obedientiae præceptum; de quo sic loquitur *S. Bernardus Serm. 3. de Circumcisione*: *At verò quia discretio rara omnino ejus est in terris, ideo discretionis locum suppleat in vobis virtus obedientiæ, ut NIHIL PLUS, NIHIL MINUS, nihil aliter quam imperatum sit, faciatis.*



EXAMEN

EXAMEN CONSCIENTIAE
per modum orationis,

§. I.

Gratiarum actio.

O Pater misericordiarum, O mi-
Creator, Conservator, Redem-
ptor, atque Protector meus! Te be-
nedico cum omnibus Angelis & Curiâ
Sanctorum universâ & ea intimis præ-
cordiis gratias ago tibi, *primo* quia
me ab æterno dilexisti & (ut spero)
ad gloriam tuam efficaciter elegisti,
& per convenientia media ad eam
prædestinâsti, *secundo* quia me ad ima-
ginem & similitudinem tuam ex nihilo
creâsti & innumeris donis tum naturæ
tum gratiæ & in corpore & in anima
dotâsti, *tertiò* quia me & omnia pro-
pter me conservâsti & gubernâsti;
quartò quia me tuo pretioso sanguine
redemisti; *quintò* te mihi in Patrem,
Medicum, Pastorem ac vitæ sanctæ
exem-

HERALDI

exemplum dedisti. *Sextò* quia me ad Ecclesiam tuam, veræ fidei professio-
nem, & ad tui agnitionem & obsequi-
um vocâsti. *Septimò* quia me in hoc
statu meo, ad quem me adduxisti,
multis beneficiis affecisti. *Octavò* Sa-
cramentis, inspirationibus sanctorum
exemplis piis libris, concionibus, So-
dalitate, & pluribus aliis mediis ad
bonam vitam sinè intermissione adju-
visti, *Nonò* quia me ex misero statu
inimici ad amicitiam (ut spero) pro-
vexisti & justificâsti; *Decimò* quia me
ab infinitis periculis perdendæ gratiæ
liberâsti. *Undecimò*, quia me hodie
ad orationem, Sacrificium Missæ au-
diendum (vel offerendum) admisisti,
cibo & potu corporis & sanguinis tui
spiritualiter, vel realiter cibâsti, & in
tuo obsequio continuisti. *Duodecimò*,
quia multis aliis beneficiis me affecisti,
& usque in æternum, afficere non
cessabis.

§. II.

§. II.

Petitio Luminis.

O Domine liberalissime his omnibus beneficiis nunc, quæso! illud adjunge, ut lucem è sede tua ad me mittas, ac per Spiritum S. abundantem gratiam mihi tribuas, quâ possim peccata mea, & quidquid divinæ Majestatis tuæ oculos offendit, recognoscere, & illud verâ cordis contritione, huicque confessione deponere, qui vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.

§. III.

Discussio Conscientiæ.

Circa cogitationes, 1. An iræ, indignationis, invidiæ, judicii temerarii, suspicionis aut alienationis. 2. An injustitiæ, propriæ commoditatis, & lucri cum damno proximi. 3. An præsumptionis, æstimationis propriæ & contemptus proximi. 4. An pusil-

pusillanimitatis, vani timoris & diffidentiae de auxilio divino. 5. An otiosæ & inanes, 6. An impudicæ & inhonestæ.

Circa verba 1. An mendacia & deceptoria, 2. An detractionis, murmurationis & juramenti. 3. An contumeliosa, injuriosa, & damnosa. 4. An iræ, rixæ & discordiæ. 5. An fuerint adulacionis & simulationis. 6. An scurrilia & inhonesta & jocosa, profana, otiosa & curiosa &c.

Circa opera 1. An fuerint mala contra præcepta Dei. 2. An contra præcepta Ecclesiæ. 3. An contra rectam rationem & usum sensuum. 4. An verò fuerint bona, ut sunt Oratio Vespertina & matutina, ante & post cibum sumptum, Missæ auditio aut celebratio, recitatio horarum, examen conscientiæ, officii, quo spiritalia vel temporalia tractamus, executio, circa quæ discutiendum. 1. An lucri aut alterius illicitæ rei culpa omissa fuerint. 2. An recta intentione facta fuerint.

3. An

3. An debito & justo modo, fervore attentione, aut aliâ quâvis requisitâ ratione facta fuerint. 4. An inspiratiōnes Divinæ & proposita neglecta furerint.

§. IV.

Contritio & veniae postulatio.


O Pater amantissime, quem amo super omnia, ecce hæc reddidi mala pro bonis tuis. Doleo ex toto corde meo & intimis medullis, me infinitam bonitatem tuam toties offendisse. Ignosce indignissimo mihi, O omne bonum meum! parce, O benignissime JESU! his & omnibus occultis peccatis meis per gemitus tuos & lacrymas, per spinas & flagra, per crucem & vulnera per omnes miserationes tuas.

§. V.

§. V.

Propositum emendandi, & gratiæ petitio.

Terūmne peccabo? Corpus & animam meam, vulnera, & Christi Sanguinem cœlum, & omnia bona ob rem nihili prodigam? non faciam, meritis tuis fultus & gratiâ; persequar inimicos, id est vitia mea, & cadent subtus pedes meos, succurrite omnes Cœlites peccatrici huic animæ: túq; O misericordiæ Mater, quæ nullum derelinquis, túq; Angele mi Custos, vósque Patroni mei, coram quibus propono hæc peccata N. & illa N. emendare, tales peccandi occasiones subterfugere; paratus ad Dei gloriam hæc N. agere, & illa N. quando occurrit tolerare. *Ter Pater & Ave; & De profundis.*



INDEX

INDEX LIBELLI.

PARS PRIMA

Cogitationes Christianæ.

Dies I. <i>De Fide.</i>	Pag. I
2. <i>De Fine Hominis.</i>	4
3. <i>De Mundi contemptu.</i>	6
4. <i>De Morte.</i>	9
5. <i>De extremo Judicio.</i>	12
6. <i>De Inferno.</i>	14
7. <i>De Æternitate pœnarum In- fernī.</i>	16
8. <i>De Paradiso.</i>	19
9. <i>De præsentia Dei.</i>	21
10. <i>De habenda cura suæ salutis.</i>	
	23
11. <i>De horrore peccati.</i>	26
12. <i>De Pœnitentia.</i>	28
13. <i>De non differenda vitæ e- mendatione.</i>	31
14. <i>De respectibus humanis.</i>	34
15. <i>De diffidentia sui ipsius.</i>	37
16. <i>De usu divinorum auxilio- rum.</i>	40
17. <i>De usu temporis.</i>	43
Dies I.	48.

INDEX LIBELLI.

- | | |
|---|----|
| Dies 18. <i>De usu Sacramentorum.</i> | 45 |
| 19. <i>De Sacrificio Missæ.</i> | 47 |
| 20. <i>De Eleemosyna.</i> | 50 |
| 21. <i>De malo exemplo.</i> | 53 |
| 22. <i>De Cruce.</i> | 56 |
| 23. <i>De confidentia in Deum.</i> | 59 |
| 24. <i>De Amore Dei.</i> | 61 |
| 25. <i>De Amore Domini nostri JESU CHRISTI.</i> | 63 |
| 26. <i>De Amore Proximi.</i> | 66 |
| 27. <i>De Dilectione Inimicorum.</i> | 68 |
| 28. <i>De imitatione Salvatoris nostri.</i> | 71 |
| 29. <i>Cultus Beata MARIAE Virginis.</i> | 74 |
| 30. <i>Devotio in Sanctum Josephum.</i> | 77 |
| 31. <i>Cultus Sanctorum Angelorum.</i> | 79 |

PARS

INDEX

PARS SECUNDA.

Documenta Vitæ Sanctioris.

CAPUT I.

De Operibus per Diem faciendis.

§. 1. <i>Modus manè surgendi.</i>	82
§. 2. <i>De Meditatione.</i>	85
§. 3. <i>De Recitatione Officij.</i>	90
§. 4. <i>De Auditione Missæ.</i>	93
§. 5. <i>de studijs aut negotiorum tractatione.</i>	95
§. 6. <i>de Examine Conscientiæ ante meridiem.</i>	100
§. 7. <i>de Prandio sumendo.</i>	101
§. 8. <i>de Recreatione.</i>	103
§. 9. <i>de Lectione spirituali.</i>	104
§. 10. <i>de Occupationibus externis.</i>	106
§. 11. <i>de recollectione horariâ & Salutatione Angelicâ.</i>	107
§. 12. <i>de Examine vespertino.</i>	108
§. 13. <i>de modo visitandi Christum in Ss. Eucharistiâ.</i>	110
§. 14. <i>de Quietè nocturnâ.</i>	126

CAPUT

LIBELLI.

CAPUT II.

De Operibus per singulas hebdomadas faciendis.

§. 1. de ijs , quæ confessionem præcedunt.	129
§. 2. de ipso actu Confessionis.	132
§. 3. de Satisfactione pro Peccatis.	133
§. 4. de sumptione Eucharistiae.	134
§. 5. de ipsa Communione.	139
§. 6. Post Communionem.	140
§. 7. de Exhortationibus audiendis.	142
§. 8. de recreationis die.	144

CAPUT III.

De Operibus Christianis faciendis per singulos Menses.

§. 1. de Patrono singulis mensibus eligendo.	148
§. 2. de emendandis per singulos Menses conversationis nostræ defectibus.	151

CAPUT IV.

De Operibus Christianis faciendis per singulos Annos.

§. I.

INDEX LIBELLI.

-
- ſ. 1. de Patrono anni totius. 153
ſ. 2. de Vocatione seu Nativitate ſpirituali. 156
ſ. 3. de Vita ſpiritualis actibus innovandis. 158
ſ. 4. de admittenda humiliter defecuum correctione. 160

CAPUT V.

De Operibus ſemper faciendis.

- ſ. 1. Quinam actus virtutum Sodali ſemper exercendi erga Deum? 164
ſ. 2. Quinam erga Superiores? 167
ſ. 3. Quinam erga Sodalitatem? 170
ſ. 4. Quid erga Consodales? 174
ſ. 5. Quid erga teipſum? 175

EXAMEN CONSCIENTIAE

Per modum Orationis.

- ſ. 1. Gratiarum actio. 178
ſ. 2. Petitio Luminis. 180
ſ. 3. Discussio Conscientiae. ibid.
ſ. 4. Contritio & venia postulatio. 182
ſ. 5. Propositum emendandi, & Gratiae Petitione. 183

F I N I S.

ERRATA GRAVIORA sic CORRIGE

- Pag. 27. Lin. 1. fæd sſim. *lege*, fœdissima.
30. Lin. 4. coavenienter *lege*, convenienter
34. Lin. 6. vestitus *lege* vestitus.
94. Lin. 14, cupiant *lege*, cupiunt.
96. Lin. 16. Augustin. *lege*, Ignatius.
97. Lin. 23. Ad nitendū *lege*, Adnitendū.
110. Lin. 3. quod *lege*, quo.
111. Lin. 1. eundem *lege* eundum.
121. Lin. 17. filio *lege*, sitio.
127. Lin. 4, ea *lege*, ex.
130. Lin. 19. post fortasse adde levis.
131. Lin. 4. illum *lege*, illam.
Ibidem Lin. 22. post curiæ adde cœlestis.
133. Lin. 10. Sanguinem *lege*, Sanguine.
146. Lin. 11. reficiens, *lege*, reficies.
ibidem prrfectus *lege*, perfectior.
157. Lin. 6. Sanctum adde Augustinum.
158. L. 12. ingratitudine l. in gratitudine.
164. Lin. 5. hac *lege*, hæc.
168. Lin. 9. tibi deleatur.
170. Lin. 25. commodata *lege*, comendata.
171. Lin. 20. perfecti *lege*, perfectè.
ibidem. vivam *lege*, vivum
172. Lin. 5. versatis *lege*, versatos.
173. Lin. 13. Sodalitates *lege*, Sodalitate
178. Lin. 5. ea *lege*, ex.

LETTATA GRANIOGA sic CORRIGE

1. Pro. 2. Tunc. 3. Sed illius fides, factumque
2. Solitudo. 4. Conceduntur fides, condescendunt
3. Tunc. 5. Confidimus fides confessio.
4. Tunc. 6. Quibus tunc fides confititur.
5. Tunc. 7. Tunc. 8. Tunc. 9. Tunc. 10. Tunc.
11. Tunc. 12. Tunc. 13. Tunc. 14. Tunc. 15. Tunc.
16. Tunc. 17. Tunc. 18. Tunc. 19. Tunc. 20. Tunc.
21. Tunc. 22. Tunc. 23. Tunc. 24. Tunc. 25. Tunc.
26. Tunc. 27. Tunc. 28. Tunc. 29. Tunc. 30. Tunc.
31. Tunc. 32. Tunc. 33. Tunc. 34. Tunc. 35. Tunc.
36. Tunc. 37. Tunc. 38. Tunc. 39. Tunc. 40. Tunc.
41. Tunc. 42. Tunc. 43. Tunc. 44. Tunc. 45. Tunc.
46. Tunc. 47. Tunc. 48. Tunc. 49. Tunc. 50. Tunc.
51. Tunc. 52. Tunc. 53. Tunc. 54. Tunc. 55. Tunc.
56. Tunc. 57. Tunc. 58. Tunc. 59. Tunc. 60. Tunc.
61. Tunc. 62. Tunc. 63. Tunc. 64. Tunc. 65. Tunc.
66. Tunc. 67. Tunc. 68. Tunc. 69. Tunc. 70. Tunc.
71. Tunc. 72. Tunc. 73. Tunc. 74. Tunc. 75. Tunc.
76. Tunc. 77. Tunc. 78. Tunc. 79. Tunc. 80. Tunc.
81. Tunc. 82. Tunc. 83. Tunc. 84. Tunc. 85. Tunc.
86. Tunc. 87. Tunc. 88. Tunc. 89. Tunc. 90. Tunc.
91. Tunc. 92. Tunc. 93. Tunc. 94. Tunc. 95. Tunc.
96. Tunc. 97. Tunc. 98. Tunc. 99. Tunc. 100. Tunc.

Jan 1648

X2330003

200



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



**COGITATIONES
CHRISTIANÆ**

*Quolibet Die cujuslibet Mensis
utiliter suscipienda*

*UNÀ CUM
DOCUMENTIS
SANCTIORIS VITÆ
PRO OPERIBUS
CHRISTIANI HOMINIS
Piè faciendis*

DD. SODALIBUS
Majoris Congregationis
B. MARIAE V.
ab Angelo Salutatæ
in Strenam Fuldae

Oblatæ
Anno M.DCCXVII.

HERBIPOLI
Typis HENRICI ENGMANN Typ. Aul.

S. 1887/88. 1181.